This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`





GEORG. ALOY. SULZERIANUS
Ars Poetica
De Bono Gusti.
Aesthetica
Silva Parnassi Pannonii Pars I.
Silva Parnassi Pannonii Pars II
Nihil Pulchrum, quod non Bonum.
J. Georg. Mansfeld dl. et Sc.

SILVA PARNASSI PANNONII.

AUCTORE

GEORGIO ALOYSIO SZERDAHELY

L. A. L. L. ET PHIL. DOCTORE, ARCHI GYMNASII REGII BUDENSIS DIRECTORE, ET IN GRENIALI STUDIORUM COMMISSIONE AD EXCELSUM CONSILIUM REGIUM LOCUMTENENTIALE HUNGARICUM ASSESSORE.

VINDOBONAE,
TYPIS MATHIAE ANDREAE SCHMIDT.
1788.

300. 2. 46.

VIRO

CELEBERRIMO ADM. REV. DOMINO

MAXIMILIANO HELL,

ASTRONOMO CAES. REG. UNIVERS. VINDOBONENSIS, SOCIETATIS REGIAE SCIENTIARUM HAFNIENSIS, STOKHOLMIENSIS, NIDROSIENSIS, GÖTTINGENSIS, INSTITUTI SCIENTIARUM BONONIENSIS *SOCIO*, ET SOCIETATIS REGIAE SCIENTIARUM PARISINAE MEMBRO CORRESPONDENTI &c. &c.

GEORGIUS ALOYSIUS SZERDAHELY

SALUTEM!

Silva iſta *Parnaſſi Pannonii* omni prorſus iure TIBI debetur! TU enim, poſteaquam amore TUO non indigna viſa eſt *Hiſtoria Uraniae*, Genium, Muſamque meam inci-

tare

tare perrexisti, ut, si quae apud me latent Poematia, ad Gustum meliorem revocarem, *Silvamque publicam* facerem. Erant autem reapse in adversariis non pauca; sed, ut argumento varia, ita pretio diversa *Carmina*, quae mihi aliquando inter negotia fere non cogitanti exciderunt, aut, cum tempus erat indulgendi animo, sine cura facta sunt: *Bona*, et *Mala*. — Tene igitur, Virum tantum, non audirem? Quo probari, incitarique beneficium, e honor; morigerari vero gratitudo est. Non dicam, quod me in annum Septimum ac vicesimum Tua benevolentia, favore, et amicitia complectare. Amor ille Tuus, quo ferves in *Musam*, et vocem eius *La*

ti-

m, tanto me commovit opere, ut non
n *Vetera* perluſtrarem, ſed etiam
a ſubinde profunderem. Nam ille
ecto ita magnus eſt, ut non vane cre-
, ignem illum, quem vocamus ὄιςρον,
itus iniectum eſſe TUUM in animum.
non enim in Coelo *Poeſis* eſt? Poetae,
; Plato, totaque vetuſtas recte docet
: *primos* et ſolos *omnis Sapientiae* Pa-
et Duces, *Muſam Poeticam* in Coelos
erunt, et cum Sorore *Urania*, cui
n Lite Aſtronomorum de Nomine anti-
n nomen vindicaſti, Sidereis in regio-
s collocarunt. Semper amica, quia
cognata *Poeſis* eſt *Aſtronomiae*. Hae
germànae tenent immenſa Coelorum

ſpa-

ſpatia; iſtae moderantur aeternos illos orbes, quos Tu pridem non tam eminus ſpecularis, quam proxime incolis. Propterea non aberravero, ſi dicam: ex longo, diuturnoque Coeli uſu, et cognata *Poeticae*, *Uraniaeque* amicitia traxiſſe Te *Spiritum* illum, quem habes *Poeticum*, vegeti corporis indicem, vitaeque longioris augurem, et ſponſorem. Accipe iam a me, quod Tuum eſt! In hac etiam *Silva* reperies, quae Te *Tui Coeli* admoneant. Dabam Budae VIII. Calendas Junii Anno MDCCLXXXVIII.

SILVAE
PARNASSI PANNONII.
LIBER I.

I.
Agricola Mercurianus Poeta Rus iturus.

(a)

Cedite paullisper de pectore, cedite Curæ!
Rura volo: Curis invia Rura petam (1)
Sae-

(a) Hoc se titulo Auctor indicat; γεωργος enim Latinis est *Agricola*. Cognomen illius apud Hungaros significat, Hominem de loco (urbe vel oppido) gentilitio, cui nomen a *Mercurio* datum est, oriundum. Unde *Mercurianus*, aut a loco natali *Mercurii* nomine (qui Graecis ἑρμης dicitur) *Hermopolitanus* Poeta adpellari potest. Nomen ille Viri *Mercurialis*, qualem se dixit Horatius Lib. II. Ode 17. non audet sibi arrogare. *Mercurialem* autem talem, qualis idem Horatius est ab aliis cognominatus Lib. II. Serm. 3. *Agricolam* istum adpellare nefas est: *Hortos, egregiasque domos mercarier unus cum lucro norat; unde frequentia Mercuriale impoſuere mihi cognomen compita*; ait ille de se.

(1)

Saepe Diis, qui Regna tenent ſtellantia, Coelo(1)
Charior in Terris rivus et herba fuit.
Theſſala Rura loqui poſſunt, Amphryſus, et Ida,
Cynthus, et Aonii laurea ſilva iugi (2)
Buda vale, curasque meas tua conde ſub antra (3)!
Rus eo; iamque puto, me mea Rura tenent.

Hic

(1) Non enim gazae, neque Conſularis
Submovet Lictor miſeros tumultus
Mentis, et *Curas* laqueata circum
Tecta volantes.
— — — Mihi parva *Rura*, &
Spiritum Graiae tenuem Camoenae
Parca non mendax dedit, & malignum
Spernere vulgus.

Ait Horatius ad rem meam Lib. II. Ode 16.

(2) *Theſſalia* prius *Aemonia*, et multis deinde nominibus dicta, praecipua Graeciae regio fuit habita; unde *Catullus* eam dixit *eximiam*. Praecipui montes in ea ſunt Olympus, et Pindus; ille Deorum, hic autem Muſarum ſedes. Inter Flumina eſt *Amphryſus* Apollini gratus: Amphryſi Gramina celebrat Ovidius et Statius. *Ida* mons in Troade altiſſimus, in quo multi Fontes et amoenitates: ea de cauſſa Numinibus charus. Amoenam, et celeberimam adpellat Ovidius Lib. IV. Faſt. et II. Met. *Cynthus* inſulae Deli mons, in quo natus et verſatus eſt Apollo, et Diana; nunc quoque, teſte Virgilio, per iuga Cynthi exercet Diana choros. *Aonia* pars montana Boeotiae, in quo fons Aganippe Muſis ſacer, et Poetis neceſſarius.

(3) Buda ſuperior maxima ſui parte eſt continuo et uni quaſi ſaxo ſuperſtructa; habet autem antra excisa tam multa, ut urbs tota monti cavo inſidere videatur.

Hic licet, et mens eſt lentas ſine nubibus horas
Ducere, et herboſo ponera membra toro.
Hic ego iam Caſtae ſtudia exercebo Dianae,
Ignarasque doli ludificabor aves.
Dicite Carmen Aves! Si Carmina veſtra placebunt,
Non ego vos laqueo ludificabor Aves.
Dicite felicem laeto modulamine Budam!
Buda caput Regni eſt. — Audio, dulce canunt (4).

II.

PROPEMPTICON

Virgini Deiparae ad Coelos abeunti.

Siderei Juvenes huc huc properate! MARIA,
Intemerata Dei Mater, ad aſtra cupit.
Illi adſunt, Pluviasque fugant, Solemque reducunt,
Coeleſtemque parant laeta per arva viam.
Expectant Nubes, Zephirique faventibus alis (1).
Depoſitque ſuum Gnoſia Virgo decus (2).

4) Eſt enim Buda Regni Metropolis; quae caput adtollit ab eo praecipue tempore, quo JOSEPHUS II. Caeſar et Rex prima Regni Tribunalia, Politica et Militaria Hungariae Gubernacula, in hac antiqua Regum ſede pro maiori populi felicitate collocauit.

1) *Pluviae*, *Sol*, *Zephyri*, et alia quam plurima, ut ſint magis Aeſthetica, accipiunt apud me Perſonas, Vitamque Hominum.

2) Clara Ariadneae propius ſtant Signa Coronae;
Hunc illi Bachus thalami memor addit honorem.

Luna globum dominae geſtit ſubſternere plantis,
Ornavere ſuas Sidera cuncta comas.
Diva triumphali fertur ſuper aëra curru
Et capit a Gnato ſceptra, thronumque ſuo (3).
Plaudite Coelicolae! Nos, qui tellure moramur,
Feſtivo in plauſu vota, precesque damus.

III.

Ait Germanicus Caeſar ex Arati Phaenomenis. Sed melius Ovidius Lib. VIII. Met.

— Deſertae — opem Liber tulit; utque perenni
Sidere Clara foret, ſumtam de fronte Coronam
Immiſit Coelo; tenues volat illa per auras,
Dumque volat, gemmae nitidos vertuntur in ignes,
Conſiſtuntque loco, ſpecie remanente Coronae,
Qui medius nixique genu eſt, anguemque tenentis.

Eſt enim inter Engonaſim, et Ophiuchum. Volupe erit videre Lib. III. Faſt. et CATULLUM *in Nuptiis, et Coma Berenices* de hoc argumento. Mihi enim venit in mentem iterum cogitare de concordia Poeſeos et Aſtronomiae; quae certe tanta eſt, ut Lectorem illum intelligere non poſſe credam Poetas veteres, qui Poeſeos, et Aſtronomiae Cognitionem non magnam habet. *Primi* Aſtronomi videntur mihi fuiſſe *primi* Poetae; primi illi pervenerunt ad coelos, fecerunt Conſtellationes, obſervarunt Sidera, et impoſuerunt nomina, quibus dein Poetae ceteri, Aſtronomiae gnari uſi ſunt.

(3) Signum adparuit in coelo; ait *Joannes* in Apocalypſi: Mulier amicta Sole, et Luna ſub pedibus eius; et in capite eius Corona Stellarum duodecim. Cap. 12. Quae verba licet de Eccleſia, Chriſti Sponſa dicta ſint, D. Bernardus et alii exemplo S. S. Ambroſii et Auguſtini ducti non incongrue in Virginem Deiparam transtulerunt.

III.

MARIAE THERESIAE AUG. REGINAE HUGARIAE

Dum a Clemente XIII. Pontifice Maximo Titulo Regis Apoſtolici ornata fuit

(b)

NomineApoſtolico TibiMagnaTHERESIA CLEMENS
Tertius a Decimo Papa placere cupit!
Accipis id, quod habes (1); et eris, quod jam ante
fuiſti (2);

(b) Per literas in forma Brevis Anno MDCCLVIII. die 19. Auguſti exaratas, quarum initium eſt: *Cum multa alii Romani Pontifices* &c.

(1) Reges enim Hungariae a primis Regni temporibus inſigniti fuere hoc nomine; quamvis aliqui raro, aliqui forte numquam nomen illud ſibi adpoſuerint. Fundamentum huius conſuetudinis videtur eſſe in celeberrima Bulla Sylveſtri II. Pont. Max. At Clemens XIII. Sic ait in Brevi memorato: *Habent hoc etiam Hungariae Reges, ut a plerisque omnibus iſthic adpellatione certe magnifica et glorioſa Reges Apoſtolici ſalutari et nominari ſoleant. Cuius quidem ſive conſuetudinis, ſive privilegii fons et caput ignoratur.*

(2) Fuit enim et Titulo, et Opere *Apoſtolica* prius, quam dicta eſt a Clemente P. M. qui Titulum illum Regibus Hungariae ea de cauſſa aſſeruit, quod Reges, et Hungari a tempore D. Regis Stephani ſemet tamquam vallum et aggerem oppoſuerint *perpetuis Chriſtiani nomi-*

Hoc decus, et nomen Jure iubente Tuum eſt.
Sed quoniam CLEMENS, et Roma ſuperba tributum hoc
Obtulit, ingratum non venit inde decus (3).

IV.

De vera Amazone in Hungaria.

(c)

Ceſſet Amazonias celebrare Poetica Matres;
Eſt in Amazoniis fabula multa libris.
Viuit

minis hoſtibus, eorumque vim opportunitate locorum, et fortitudine animorum infregerint, remque Chriſtianam partis incredibilibus victoriis ultra fines imperii ſui protulerint. &c. Nihil eſt in hoc Brevi, quod offenſioni huius aetatis eſſe poſſit.

(3) Superbam dico Romam honoris gratia; eſt enim Septicollis, alta, magnifica, ſedes Pontificis Maximi, Capitis Eccleſiae Viſibilis etc. Notum eſt utique Latinis ſuperbiam non ſemper ſignificare iniquam animi ſui elationem, et immeritum aliorum contemptum. Innumera ſunt apud Auctores Claſſicos documenta; in quibus apparet nomen ſuperbiae non tantum non habere vitium, ſed etiam inſignem virtutem oſtentare.

(c) *Amazones* erant Mulieres in Scythia iuxta Tanaim, quae deinde ad Thermodoontem Thraciae fluuium commigrarunt, a μαζος adpellatae, quod dextram mammam exuſſerint, ut liberius agere pugnareque poſſint; unde *Unimammae*, bellatrices, et manortiae fuere dictae. De origine, patria, habitu, et cultu earum multa Curtius, Strabo, Iuſtinus, Diodorus Siculus. Sed fabuloſa eſſe omnia iam Strabo iudicauit. Lib. XI. Noſtra Amazon eſt vera.

Vivit in Hungaria, vivit magis inclita Amazon,
Quae mihi feminea eſt conditione prior.
Illa venuſtatem non vult, quia vana venuſtas;
Si velit, ut Juno, vel Cythereis erit.
Incorrupta Fides, Probitas, Prudentia, Pallas,
Hisque coaequales ſunt in amore Deae.
Sanguine de veteri nata eſt, et nupta Dynaſtae (1);
Quinque Sacri thalami pignora Mater alit.
O dulces Nati! quis vos timor angeret? aetas
Maternum poſſet ſi bene noſſe malum.
Dextera, quos veſtros Natura parauit in uſus,
Mamma tumet; Mammam Cancer acerbus edit.
Pharmaca dant Medici, ſed inania pharmaca cedunt.
Vincit Apollineam turgida peſtis opem.
Quid memorem ſaeuos Cancro ſerpente dolores?
Mors iacet in molli conglomerata ſinu (2).
Tolle meam Chiron, ait aegra, a pectore mammam,
Et velut Ars tua te dirigit, ure, ſeca (3)!

(1) Illuſtriſſimo Comiti *Ladislao Smidegg* de Pereſzteg.

(2) Plures enim globuli reperti fuere in abſecta corporis parte.

(3) *Chironem* dico *Cl. Georgium Stahly* Medicinae et Chirurgiae Doctorem, ac in Regia Scientiarum Vniuerſitate Peſtana Profeſſorem P. O. qui ſectionem iſtam dexterime perfecit. Erat enim *Chiron* ab vſu manus (χειρ) dictus in Arte Medendi verſatus: herbarum vires et medicamenta reperit, ait Plinius. Medici autem primi Chirurgiam quoque exercebant, eamque non ad homines ſolum, ſed etiam ad iumenta extendebant, erantque iidem *Medici*, *Chirurgi*, et *Veterinarii*. *Chiron* fuit Centaurus, ſed iuſtus, artis medicae, equeſtris

Illa iubet, cultrosque urget, [redacted]
Excipit intrepida, qua fuit [redacted],
O animum ingentem, et facinus [redacted]!
Non habet in fastis Ars operosa fuis.
Eloquar Hungaricae cognomen Amazonis; a
Christophoro Niczky Patre creata fuit (4)
Quid magis ad laudem Natae est, quam dicere Pa
Est etenim tanto Filia digna Patre.

V.

Mors Christi est Vita Hominis.

Christus in immiti dum fixus brachia ligno
Mortem obiit, Vitam vivere cepit Homo.
Mors igitur Mortem vicit, Vitamque reduxit,
In ligno postquam Mortua Vita fuit.

VI.

Phyllidi aquam porrigenti.

Quam mihi fundis aquam, vereor contingere Phylli!
Ne faciam, Daemon me meus admonuit
Di-

aequestris, et venatoriae peritissimus; nec non Astrono-mine et Musicae. Ex discipulis duos habuit celeberimos, Aesculapium, et Achillem. Tandem in Coelum translatus in Zodiaco *Sagittarius* dicitur.

(4) Anno illo, quo facta est Amazon Hungara, fuit ille Excelsi Consilii Regii Locumtenentialis Praeses, Tavernicorum Regalium Magister, Comes Temesiensis, Actualis Intimus Status Consiliarius, Ordinis S. Stephani Regis Apostolici Commendator.

Dicens (1): Hoc in monte feras agitavit Adonis,
Hoc in monte fuit dente peremtus apri.
Hoc in monte Venus caesum dum plorat Adonin,
Haec Aqua de lacrimis illius orta fuit (2).
Quid si, quod metuo, gelida latet ignis in unda?
Non bibo, ne flammas, Phylli decora, bibam.

VII.

In contemplatione Rosae.

Ah Rosa, quam celer est tua vita, breuisque venustas!
Mane oreris, tepido vespere lassa cadis.

(1) Δαιμων, quasi δαημων sciens. Antiquitas enim Daemonibus tribuit inventionem et scientiam omnium rerum; Plato autem Deum adpellauit τον μεγιστον δαιμονα. Vniuersim Δαίμων dici potest Genius, aut Lar, aut Angelus; si modo hoc recte conuersum dici potest. Hoc nimirum est (aio cum Cicerone ex Lib. I de Diuin. n. 54. Edit. Bipont.) illud, quod de Socrate accepimus, quodque ab ipso in Libris Socraticorum saepe dicitur, esse diuinum quiddam, quod δαιμονιον adpellat, cui semper ipse paruerit, numquam impellenti, saepe revocanti etc. De Daemonio Socratis etiam recentiores Eruditi edidere suas opinationes.

(2) Historiam Adonidis post alios poetice narrat Ouidius Lib. X. Met. Lacrimas Veneris exponit Orpheus (aut quis alter est sub eius nomine?) in Hymnis; Theocritus in Idylliis etc. De Festis annuis in memoriam Adonidis institutis meminerunt Sacri, Profanique Scriptores.

Per te ego, qui roſea vernabam fronte, recordor,
Quid fuerim? qui ſim? quid mihi Terra paret?
Ut tua, vita mea eſt; miſeri! vix cepimus illam
Vivere, vita brevi tempore fracta perit (1)

VIII.

Nova Stella.

Primum in Coelo Auſtriaco viſa Anno MDCCLXXIII.

Moerorem, curamque pii deponite Cives!
Naſcitur Auſtriaco nam nova Stella polo.
Quae reliquas inter radiat pulcherrima Stellas,
Filia JOSEPHI Caeſaris una fuit (1).

IX.

(1) Alia ex parte Sappho contemplabatur Roſam, dum inquiebat: εἰ τοις ἀνθεσιν ἠθελεν ὁ Ζευς ἐπιθειναι βασιλεα etc. —— ſeu: Si Floribus vellet Iupiter imponere Regem, Roſa inter Flores regnum obineret. Terrae eſt ornamentum, plantarum decus, oculus florum, prati rubor, pulchritudo coruscans; amorem ſpirat, Veneris eſt conciliatrix, formoſis foliis comata eſt, nobilibus frondibus luxuriat, calix Zephyro ridet. —— Sed minor eſt gratia in Latino, quam ſit in ſermone originali Graeco. Eam tamen, ut ad plurium animos pertingat, Latino more dare volui.

(1) *Maria Thereſia* Archi Dux die 29. Januarii anni citati mortua. Non eſſe novam huiusmodi translationem novere praecipue Aſtronomi, qui ſolent in Coelo ſpectare *Uraniam*, *Caſſiopeam*, *Andromedam*, *Pleiades* etc.

IX.

Ad Rivulum.

Rivule quid dicam? cryſtalline Rivule! vallis
Deliciaê, et nostri Rivule Ruris honor!
Tu Speculum Aurorae es (1); tu prata virentia reddis;
Otia poſt curas tu mihi laeta facis.
Per te Flora capit vitam, per te auget odores;
Per te etiam ad cantus exſtimulantur Aves.
Argentumne tuum? vel frigus amabile laudem?
Aut venam, aut querulae murmur euntis aquae?
Quam varios luſus! quanta hic glomeramina volvis!
Incipiam fluctus dinumerare tuos.
Rivule cur properas? —heu me! Jam gaudia ceſſant.
Ut levis Hora volat, ſic tua currit Aqua (2).

X.

(1) Illius ſcilicet *Aurorae*, quae ſolet eſſe ſerena, roſeo ſpectabilis ore, croceis ornata capillis, et tota formoſa, puniceo velamine fulgida, Hyperionis, aut Pallantis filia, Tithoni coniux, Memnonis mater.

(2) Ipſa quoque aſſiduo labuntur tempora motu
Non ſecus ac Flumen; neque enim conſiſtere Flumen,
Aut levis Hora poteſt, ſed ut unda repellitur unda,
Urgeturque prior veniente, urgetque priorem;
Tempora ſic fugiunt pariter pariterque ſequuntur,
Et nova ſunt ſemper; nam quod fuit ante, relictum eſt,
Fitque quod haud fuerat, momentaque cuncta novantur.
Ovid. Lib. XV. Met.

X.

Statua Equeſtris Diui Martini in Templo principe Poſonienſi erecta.

Artis opus magnum eſt; miretur Gallia! Saepe
Ars quoque mirari debuit iſtud opus (1).
Armati Herois ſimulacrum ſuſpicis! Ille
Frenat equum, et toto pondere terga premit.
Stat Sonipes, ſed ſpernit humum, et ſpumantia mandit
Vincula, diſperſis ſunt fera colla iubis.
Et niſi in hoc captiua forent crura ultima ſaxo,
Ut *Notus* (2) in curſum praepes abiret equus.
Pone iacet Vir nudus, inops; ſenioque, geluque,
Non prece, vel lacrimis, torpidus orat opem.
MARTINUS miſera commotus imagine ferrum
Stringit, et extentam dividit enſe togam (3).

Sculptor

(1) *Gallia* hic praeprimis adpellatur, tum quod Statuarios habeat multos et famoſos, uti ſunt aut erant Falconet, Saly, Couſtou, Le Moine, Pigalle, Bouchardon, Le Gros, Girardon, Puget etc.; tum quod D. Martinus Epiſcopus in Gallia Turonenſis fuerit, et in eodem regno iſtud opus miſericordiae fecerit.

(2) Νοτος, quem Ouidius dicit praecipitem in Epiſt. X. Her.

(3) Quodam tempore (ait Severus Sulpicius optimus Scriptor) cum iam nihil praeter arma, et ſimplicem militiae veſtem haberet, media hieme, quae ſolito aſperior inhorruerat adeo, ut plerosque vis algoris ex-

tin-

Sculptor equum, veſtem, mendicum, atque arma paravit;
Verum MARTINUM reddere non potuit.
Iam tum Virtuti ſimilis fuit (4). Ergo quis illum
Marmore, vel rigido reddat in aere Myron (5)?

XI.

tingueret, obvium habet in porta Ambianenſium Ciuitatis pauperem nudum, qui cum praetereuntes, ut ſui miſererentur, oraret, omnesque miſerum praeterirent, intellexit vir Deo plenus ſibi illum, aliis miſericordiam non praeſtantibus, reſeruari. Quid tamen ageret? nihil praeter Chlamydem, qua indutus erat, habebat; iam enim reliqua in opus ſimile conſumſerat. Accepto itaque ferro, quo accinctus erat, mediam diuidit, partemque eius pauperi tribuit, reliqua rurſus induitur.

(4) Virtutes eius pulcherrime idem Severus Sulpicius. Triennium fere ante baptisma in armis fuit, integer tamen ab aliis vitiis, quibus illud hominum genus implicari ſolet. Multa illi circa commilitones benignitas, mira Charitas, patientia vero atque humilitas ultra humanum modum. Nam frugalitatem in eo laudare non eſt neceſſe etc. Vide porro, cur eum Virtuti ſimilem dixerim.

(5) *Myron*, qui ut ait Plinius Lib. XXXV. Cap. 11. paene hominum animas, ferarumque aere comprehenderat; quemve Bucula maxime nobilitauit, celebratis verſibus laudata: quando alieno plerique ingenio magis, quam ſuo commendantur. De hac Myronis Bucula reperiuntur 40 epigrammata in Anthologia Graeca; apud Auſonium Latina ſunt III.

XI.

Excellentiſſimo Comiti
ANTONIO JANKOVICH DE DARUVAR
Dum Tabulae Septem Virali Iudiciariae praeeſſe cepit.

(d)

Hic Vir, hic eſt, cui Iura Themis, Legesque tuendas,
Et quod in Hungaria eſt, Fasque, Piumque dedit.
O quem Te memorem Vir maxime et optime! plures
Virtutes., quam ſint nomina, ſolus habes.
Dum Tibi Iuſtitiam tradit pia Diva regendam,
In Te Virtutes iurat adeſſe ſuas.
Et quod forte deeſt (credas illique, mihique)
Hoc Dea Virtutem non putat eſſe ſuam.
Eia igitur Solium Themidis, gladiumque capeſſe!
Hoc non Sorte Tibi, ſed Ratione datur.
Iudice Te Ius cuique ſuum conſtabit, et omnis
Curia Te nomen Praeſide grande feret.

XII.

(d) Munia, et honores illius ſunt: Tauernicorum Regalium Magiſter, Inſignis Ordinis S. Stephani Regis Apoſtolici Commendator, S. C. et R. A. Maieſtatis Actualis Intimus Status Conſiliarius, Comitatus Syrmienſis Supremus Comes, et Excelſae Tabulae Septem Viralis Praeſes. — Non eſt in hoc Carmine, quod ait Quintilianus Lib. VIII. aut κακοζηλια aut mentiens ſuperiectio.

XII.

PETRO E COMITIBUS DE REWA

S. C. et R. A. Maieſtatis Conſiliario Illuſtriſſimo.

Quos ſuper Hungarica modulabar Amazone verſus, (1)
Quod TIBI diſtulerim mittere, queſtus eras.
Erubui, culpamque meam confeſſa rubedo eſt;
Nam mea culpa, TUI non meminiſſe, fuit.
Da veniam! mea Muſa petit, noſtrosque ſereno.
Accipe, quos offert, vultu, animoque libros! (2)
Carmina iuſſiſti; Libros et Carmina mitto!
Carmina cum Libris TE mea, REWA, colunt.
Tu facis, et meritis cumulas patrimonia Muſis;
Ipſe TIBI vitam debet Apollo ſuam (3).
Aurea ſi poſſes, revocares ſecula. Fac nunc
Quod potes, et Muſam perge fovere meam!

XIII.

Satyra

in Iovem dum Coelum tonuit iacta.

Audi Terra Iovis voces, et numen adora!
Ad tonitru, et fulmen territa Terra tremit.
Regnat

(1) Superius legiſti n. IV.

(2) De *Aeſthetica*, ſeu Doctrina Boni Guſtus in duobus Voluminibus editos.

(3) Erat enim Curator, et *Referens Conſiliarius Fundi Studiorum* in excelſo Conſilio Regio Locumtenentiali Hungarico.

Regnat, et aeternis mundum moderatur habenis,
Cui Puer Idalius frena, iugumque dedit (1).

XIV.

Mavors Hungariae.

Iupiter intentat fulmen, (1) quatit aegida Pallas, (2)
Neptunus triplici cuspide vertit aquas. (3)
Arcum

(1) Perfringit, penetrat, cremat omnia Fulmen adactum; Iupiter hinc nomen τερψικεραύνος habet.

Ait Coelius. Quid autem ille Iupiter? Cui Venus, Cupidoque imperat, suadetque Amor, ille rapitur caecus et demens, inquit Plautus in Curculione. Ideo non insulse quidam Poeta Triumphum Cupidinis scripsit; quo in libro non modo potentissimum Deorum Cupidinem, sed etiam Victorem facit. Enumeratis enim amoribus singulorum, quibus in potestatem Cupidinis, ditionemque venissent, instruit pompam, in qua Iupiter cum ceteris Diis ante currum triumphantis ducitur catenatus. Ita Lactantius Lib. I. Cap. 11. Quis ille Poeta fuerit? non constat.

(1) Illi dicit Venus Aen. I. O qui res hominumque deumque aeternis regis imperiis, et *fulmine* terres!

(2) *Aegidaque* horrificam, turbatae Palladis arma,
Certatim squammis serpentum, auroque polibant
Cyclopes apud Virgil. VIII.

(3) Ait ille Ventis: Regique haec dicite vestro:
Non illi imperium pelagi, saevumque *tridentem*,
Sed mihi sorte datum &c. Aen I.

Arcum humero et plenam geſtat Diana pharetram (4),
Caſtor equos, caeſtus, ut puto, frater habet (5)
Alcides clava (6), Saturnus falce minatur (7),
Perſeus eſt ſaeva Gorgone terrificus (8).
Mercurius virgam adtollit (9), dat Apollo ſagittas (10),
Bachus amat thyrſum (11), Mulciber ignefurit (12).
Unicus

(4) —— Humeris de more habilem ſuſpenderat *arcum*
Venatrix, dederatque comam diffundere ventis,
Nuda genu, nodoque ſinus collecta fluentes.
Aen. I.

(5) Caſtor gaudet *equis*, avo prognatus eodem
Pugnis, quot capitum vivunt, totidem Studiorum
Millia. Horat. Lib. II. Satyr. I.

(6) Quis facta Herculeae non audit fortia *Clavae*?
Propert. Lib. IV. El. 10.

(7) Cauſa ratis ſupereſt, Thuſcum rate venit ad amnem
Ante pererrato *Falcifer* orbe Deus.
Ovid. in Faſt.

(8) *Gorgonis* anguicomae Perſeus ſuperator, et alis
Aetherias auſus iactatis ire per auras.
Ovid. L. IV. Met.

(9) *Virgam* capit; hac animas ille evocat orco
Pallentes, alias ſub triſtia tartara mittit;
Dat Somnos, adimitque, et lumina morte reſignat.
Aen. IV.

(10) Actius hinc traxit Phoebus monumenta, quod eius
Una decem vicit miſſa *Sagitta* rates.
Propert.

(11) Corniger increpuit *thyrſo* graviore Lyaeus.
Ovid. L. III. Am.

(12) —— *Ignipotens* coelo deſcendit ab alto
Aen. VIII.

Unicus eſt tota Mavors in gente Deorum,
Qui ſua, ut obſervo, non habet arma manu.
Scilicet Hungariae Mavors NADASDIUS arma
Martis habet, Martem ferro, animoque refert(13).

XV.

Threnus Eraſti Adoleſcentis.

Quum primum audaci percuſſit arundine pectus,
Debuit alatus morte perire Puer (1).
Aut ſi forte mori neſcit natura Deorum,
Debueram vitam deſeruiſſe prior.
Nam quid diſſimulem? merui prior ire ſub umbras.
Cauſſa venenati vulneris ipſe fui,
Et pudet, et dicam: vidi, viſumque probavi:
Hei mihi, quam ferus eſt, qui vorat oſſa dolor!
Ille mihi Viſus creat immedicabile vulnus,
Ille novas animo ſuggerit usque faces.

Aut

(13) *Franciſcus* Comes de *Nadasd*, Perpetuus Terrae Fogaras, Ordinis Militaris Regio Thereſiani Maioris Crucis Eques, Regnorum Dalmatiae, Croatiae, et Sclavoniae Banus, Generalis Campi Marechallus, Excelſae Tabulae Banalis Praeſes, Supremus Comes Comitatus Albenſis etc. Vir multis ſago, togaque facinoribus Celeberrimus. Abiit e vita Anno MDCCLXXXIII.

(1) Quicunque ille fuit, *Puerum* qui pinxit Amorem,
Nonne putas miras hunc habuiſſe manus?
Idem non fruſtra ventoſas addidit *alas*; etc.
Vide Propertium L. II. El. 12.

Irimur! ardentes cupio reſtinguere taedas (2);
Sed Puer, et Pueri Mater iniqua vetat.
Itque ſolent Superi crudeliter eſſe potentes,
Tela Cupido, novas iniicit iſta faces.
Ah quoties ego iam, niſi ahenea fata negarent,
In buſta, et cineres diſſoluendus eram!
Ergo Cupidineo nunquam non ſaucius arcu
Vulnus alam, et caeco carpar ab igne miſer?
Abrumpant utinam tandem mihi Numina vitam,
Ne iubear poenae ſic ſupereſſe meae!
Qui legit haec, rigida teneat ſua lumina lege.
Antiquum eſt: Oculi ſunt in amore duces (3).

(2) Utile propoſitum eſt ſaevas extinguere flammas,
Nec ſervum vitiis pectus habere ſuum. etc.
Ovid. in Remed.

(3) Anacreon dicit Ode XVI.
συ μεν λεγεις τα Θηβης,
ſeu,
Thebana bella cantas,
Troiana cantat alter;
Meas at ipſe clades.
Me non eques, pedeſve,
Non perdidere naves;
Aliud novum ſed agmen
Dominae inſidens ocellis,
Et inde tela mittens.

In oculis enim formoſorum conſiſtunt Amores, et inde ſagittas ac tela mittunt in ſpectatores. Iam alias, Ode nimirum II. ſcripſit: γυκᾶ δε και σιδηρον, και πυρ, καλη τις ὡσα.

XVI.

Visio nocturna.

(e)

Nox fuit; aurato in curru cum Pallade sedi;
Currus erat niveis ille citatus equis.
Hos (ego sic mecum) Phaeton si forte videret,
Hos prae flammigeris flectere vellet equis (1)
Phoebe! fave dixi; si tu mihi Phoebe favebis,
Aethereum noster currus habebit iter.
Quid fuit Arctophylax(2)moestae quid Pleiades(3)? aut quae
Miramur nostro Sidera sparsa polo?

Vt

(e) Quas *Phantasias* Graeci vocant, nos sane *Visiones* adpellemus, per quas imagines rerum absentium ita repraesentantur animo, ut eas cernere oculis, ac praesentes habere videamur; ait Quintil. Lib. VI. Cap. 2.

(1) —— —— Currus rogat ille paternos,
Inque diem alipedum ius et moderamen equorum.
Vide Lib. II. Met.

(2) *Arctophylax*, seu *Arcturus*, aut etiam *Bootes*, erat filius Iovis et Calliſtus, qui matrem suam in Ursam conversam in venatione nescius erat interfecturus, nisi una cum matre in Coelum ab omnipotente patre fuisset sublatus, et inter Sidera collocatus. Vide Lib. II. Met. Arati Phaen. etc.

(3) His Genitor, vero si fluxit fabula fonte,
Poenus Atlas, subiit celsae, qui pondera molis,
Coelifer, atque humero magnum super aethera torquet
Fama Vetus septem memorant genitore creatas

Lon-

ſumus ergo ſimul, ſimul hinc ad ſidera tolle! (4)
Non aliud melius Pallade Sidus erit.
Stophylax terris hiemem, dant Pleiades imbrem (5);
Ingenium et mentem Pallas amica dabit (6).
dſenſere Dii; coelo fulgere videmur,
Sed ſubito abſcedunt gaudia. Somnus erat.

XVII.

EUCHARISTICON
Divae APOLLONIAE *datum.*

)iva Paraetonias inter celeberima Nymphas (1)!
Nunc tibi Apollineo carmine ſolvo fidem.

Longaevo; ſex ſe rutila inter Sidera tantum
Suſtollunt; etc. Rufus Feſtus Avienus ex Arato.
)riginem earum clarius exponit Ovidius Lib. V. Faſt.

Duxerat Oceanus quondam Titanida Tethyn,
Qui terram liquidis, qua patet, ambit aquis.
Hinc ſata *Pleione* cum Coelifero Atlante
Iungitur, ut fama eſt, *Pleiadasque* vocat.

Recenſuit earum nomina Lib. IV. Faſt.

Uti Sidera Urſae minoris, Draconis, Cephei etc.

De his Manilius in ſuo Aſtronomico fuſius.

Pallada nunc pueri, teneraeque ornate puellae!
Qui bene placarit Pallada, *doctus* erit. —
Mille Dea eſt operum; certe *Dea Carminis* illa eſt. —
— *Ingenioſa* Dea eſt.

Ovid. Lib. III. Faſt.

Apollonia V. et M. Paraetonio, ſeu Ammonia, urbe Africae Marmaricae oriunda.

Aeger eram; quae cauſſa mali? neſciuit Apollo (2).
Extremus tantum dens mihi morbus erat.
Hunc mihi, dum libros GRAVESANDII volvo, coloque
NEWTONUM, Iuveni Pallas amica dedit.
Accipe! dum noſtras tractabis ſedulus artes,
Pignus erit noſtri dens hic amoris, ait,
Et fuit, et valuit; Muſis et Pallade tutum
Me reor, ac vitae taedia nulla ſcio.
Anni abiere novem; tum te Tritonia Virgo
Defero; ſed ſenſi quanta ſit ira Deae.
Perfide! Pallas ait; ſi ſpernis munera, redde,
Flagitiique memor fer modo damna tui!
Sic ea. Deinde gravi dentem mihi percutit haſta (3).
Hei mihi! quam multi dens hic origo mali eſt.
Non ego te Virgo, dixi, mea cura, relinquam!
Perpetuam iuro per tua Sacra fidem.
Fruſtra fui, quantumque dies, crevere dolores;
Poenituit laeſam dona dediſſe Deam.
Hippocrates, Chironque ſuam verſaverat artem,
Sed meus impenſa creſcit ab arte dolor.
Quis Deus, aut homo me tandem, quae Diva iuvabit?
Anne omnis Pietas, Arsque, Salusque periit?
Decubui: varia dum ludit imagine Morpheus,
Ante oculos viſa eſt ſiſtere Virgo meos.
Vultus APOLLONIAM loquitur; probat omnia Somnus;
Forma fuit, qualem picta tabella refert.

Effi-

(2) *Apollo* ſcilicet *Medicus*, qui de ſe ipſo ſic ait Lib. I. Met.

Inventum Medicina meum eſt, Opiferque per orbem
Dicor, et herbarum eſt ſubiecta potentia nobis.

(3) Palladem eſſe haſtatam docent facta et imagines.

figies pro voce fuit. — Iam vana Deorum
Turba abeat; melior tu mihi Diva fave!
c ego; et evulſum radicibus egero dentem.
Vicimus! exclamo; me mea Diva iuvat.
ccipiesne tui monimentum muneris? Eia
Accipe! corque tui Diva Clientis habe!

XVIII.

Illuſtriſſimo Comiti et Conſiliario C. R. ANTONIO BRUNSZVIK DE KOROMPA, *Dum novam et elegantem ſuam Aedem eſt ingreſſus.*

(f)

Quae quondam Elyſios Aeneam duxit in agros,
In nova Te iam nunc tecta Sibylla vocat (1).
mora in Elyſiis fuit illi parva Viretis,
Sic tibi ſub tecto ſit mora longa tuo!
e ſuos vidit, ſed denſa in nocte, Nepotes;
Tu videas clara in luce, diuque tuos!

Eſt in ea domo Pictura artificioſa, quae vivum Aeneam exhibet (ex Lib. VI. Virgilii) in Elyſio duce ibylla cum Anchiſe patre commorantem; unde *Merurianus* ſumit occaſionem Carminis.

Sibylla eſt puella, cuius pectus non decipit, et quae aticinatur, inquit Varro; hoc illi nomen impoſuere eteres a Conſiliis Deorum annunciandis. De nomine iſputant Eruditi; hoc certum eſt: ſub eius perſona ntelligi Sapientiam et Prudentiam.

XIX.

De Thermis Budenſibus.

(g)

Quis Deus has incendit aquas? quis fontibus ignes
Miſcuit? (1) ex me Neſtor amice rogas (2)!
Naïadum quondam pulcherima *Buda* (3) ſub iſto
Monte (4) ſibi ſedem fixit, et inde ſuas;
Qvae

(g) Proxima Budae regio abundat Thermis; quinque in locis erumpunt, in aliis clauſae tenentur. De Virtute harum Aquarum diſſeruit *Laurentius Stoker* in libro anno MDCCXXIX edito, cui titulus: Thermographia, ſeu Scrutinium Phyſico-Medicum Aquarum Mineralium Budae ſcaturientium.

(1) Deſumtus eſt hic unus verſus ex Anthologia Latina Edit. Piſaur. referente Burmanno. Inſigne ardentis fluvii exemplum habemus apud Homerum Iliad. XXI. ubi aquas Xanthi fluentis multo igne accendit Vulcanus.

(2) Catulliano more facta ſunt iſta Carmina; immo mos iſte fuit ante Catullum apud Graecos: in quo ego ſingularem gratiam ſaepe reperio.

(3) *Naiades* (quae et *Naides* a verbo *νάω* fluo) Nymphas praeeſſe fontibus et fluviis docent Poetae. *Buda*, earum pulcherrima, eſt Nympha Patria.

(4) Mons hic a S. *Gerardo* Epiſcopo et M. nomen accepit; urbi contiguus, verſus Danubium Scopuloſus et praeceps; alia parte lenior, aedibus et vineis conſitus; prata petunt verticem. Deſcribit illum hiſtorice *Joan. Ferd. Muller* in Epitome Viciſſitudinum Urbis Budenſis.

Quae modo ſunt Thermae(5), gelidus effuderat undas.
Ignipotens (6) illam vidit, et incaluit
Forte magis, quam cum primum Cythereida ſenſit
Uxoremque ſibi fecit (7). At iſta nihil
Ad nos. Mons meminit *Budae*, meminere Sorores,
Danubiusque Pater (8), Pannoniaeque Nurus.
Inde calet Nais; fons illius inde perennat;
Inde ſalutares *Buda* miniſtrat aquas (9).
Adſpice perpetuas undas, Montemque GERARDI,
Si dubitas iſtis Numen ineſſe locis.
Perſpicuas ſubit ignis aquas (10); hic ignis et unda
Concordi reſonant murmure; ſaxa calor
Intima pervadit: ſudant, ferventque cavernae.
Qui credit ſterilem, decipietur, humum.
Hic etenim, mirum! contemtis ignibus audax
Herba venit; multo hic palmite luxuriat
Cocta ſilex; vernant fumantia paſcua, Virtus
Eſt in aquis, qualem ſolus Apollo fecit (11).

5) A Greco Θερμος calidus, Θερμαι etc.

6) Vulcanus, ſeu Mulciber.

7) *Venus* enim eſt uxor Vulcani Ignipotentis.

8) Budae Sorores ſunt Naiades, Pater autem Danubius; ad quem propendet Mons.

9) Multis morbis opitulari has Aqvas docet experientia quotidiana.

10) Principia harum Aquarum iuxta Methodum cl. Prof. *Winterl* magno labore examinavit, detexitque *Ioſephus Manes Oeſterreicher* Phyſicus Vetero-Budenſis Anno MDCCLXXXI in Libro Typis publicis expreſſo.

11) Apollo Medicinae Deus. De ſilice dixit Virgilius Aen. VIII. Stabat acuta ſilex praeciſis undique Saxis.

XX.

Amor et Mors pugnam ac foedus ineunt.

Ibat *Amor* media ſpoliis oneratus in Urbe,
Criſpabatque levi ſpicula laeta manu.
Obvia *Mors* illi facta eſt a caede recenti;
Tela gerit; multo ſanguine tela madent.
Ridet *Amor* Mortem, *Mors* pallida ridet Amorem.
Tum Puer: hic adſta *Mors*! ait. Illa ſtetit.
Sed quid me imprudens? inquit, quid Fata laceſſis?
Ille autem: Vires experiere meas,
Dixit; et adverſo miſcent nova praelia ferro.
Ah utinam, aiebam, *Mors*, et *Amor* caderet!
At neque tela Puer, neque *Mors* fera ſpicula ſentit.
Irrita ſunt animi Vota, precesque mei.
Tela Puer *Morti*, Puero *Mors* tradidit; et ſic
Coniunxere ſuas in nova pacta manus.
Iam modo ſaepe facit *Mors* vulnus amabile; ſaepe
Iam modo mortifero vulnere laedit *Amor*.

XXI.

De Monili famigerato, quod in Gallia magnam Litem, in Europa expectationem concitauit Anno MDCCLXXXV. et VI.

Quae Furia eſt? certe illa fuit; fortaſſe Megaera,
Quae Stygio retulit tale Monile ſpecu?

Par-

e Francigenae dirum adfectare Monile!
ebaidem Statii Patria veſtra legat (1).
ɔnie, et Semele, Iocaſta, nocensque Eriphyle,
ɹue alii interitu vos monuere ſuo.
: eſt; et quisquis adhuc mortalis habebat,
ɹrte, vel infami labe Monile luit.
ius huic varias peſtes, laetumque venenum
ſcuit, et propriis hoſtibus ipſe dedit (2)
a ago. Romano veſtitus murice Princeps
u! domino ſemper triſte Monile petit (3).
tibi femineo cum cultu et merce Sacerdos?
nineum neſcis hic recubare malum.
x, quicunque putat ſe poſſe placere,
m ſibi feminea credulitate placet.
lamna et poenas emitis; *La Motthe* feroces
Furias ſalvus triſte Monile tulit.

Quod

b. II. a v. 267.

:leberrimum eſt *Monile*, quod Vulcanus arte divina Harmoniae ex gemmis, et auro. Pretioſum erat, *Fatale*; quicunque enim Hominum illud poſſede-, infelici ruina periverunt, uti Harmonie, Semele, ſta, Eriphyle, Ariſton etc. Putat Poeta: Monile , ut parceretur humano generi, iam olim eſſe ad ara deiectum, nuper autem a Megaera in Galliam um; unde malum. Comes *de la Motthe* cum illo ɹgit, et, ut eſt credibile, Inferiis reddidit.

ɾdinalis et Epiſcopus Argentoratenſis *Ludovicus* :eps *de Rohan Guimene*.

XXII.

Ignatiadi
Anno MDCCLXXIII. morienti.

Dividimur. Tu perge! vocant te neſcia fleti
Numina. Da veniam, lacrima, nulla meis
Quod cadat ex oculis. Si fletibus ora madere
Incipiant, nullum lumina flendo modum
Reppererint; ut flumen aquas, ſic illa perennes
Effundent lacrimas, et nova Byblis ero (1).
Ibimus hinc omnes; alter praecedit, et alter
Conſequitur. Sic nos ſeparat invida Mors,
Hanc ubi propoſuit, duroque adamante notavit,
Omnipotens legem. Quod tulit ille, fero,
Et veneror: lacrimis Coelum non impeto. perge
Dulcis Amice! Patrem vallibus Elyſiis
Invenies, fata, et numerum, caſusque ſuorum
Rite recenſentem. Nemo vetabit, adi.
Poſt ſuavem amplexum, et lacrimas, poſt oſcula dextrae
Reddita, poſt varias, ut volet ille, vices
Dic, illum quod amem; quod ego, carique Nepotes,
Et quod — Sed quae ſint commemoranda, ſcies.

XXIII.

(1) — Lacrimis conſumta ſuis Phoebeia *Byblis*
Vertitur in fontem; qui nunc quoque vallibus illis
Nomen habet Dominae, nigraque ſub ilice manat.
Ovid. Lib. IX. Met.

XXIII.

De Homine multimodis monſtroſo et malo.

ae manus hoc Monſtrum finxit? Scyllisne, vel audax
ipalus e veſtris Graecia dura iugis (1)?
orte Aenariis Steropes fabricavit in antris (2)?
mque hoc duritiem rupis et aeris habet.
trum hoc nec Scyllis, nec Bupalus ille creavit;
vit enim; vitam non potuere dare.
a hominiſimilis, qualem Polyphemus habebat (3),
l qui fidereas impetiere domos (4).
trum horrendum, ingens! Cui par nec Graecia mendax,
c Mare, Monſtrorum prodiga mater, alit.

XXIV.

---

cyllis et *Bupalus* Statuarii ex prima Artis aetate,
s Stilus et ratio fuit rudis ac dura; ideo praecipuus
s Character eſt durities in opere; ita Pauſanias,
ius, Winkelmannus, Comes Caylus, Heyne etc.

errum exercebant vaſto Cyclopes in antro,
rontesque, *Steropes*que, et nudus membra Pyracmon.
Aen. VIII.

— Ipſe arduus, altaque pulſat
idera (Dii talem terris avertite peſtem!)
ec viſu facilis, nec dictu affabilis ulli etc.
Aen. III.

ıdfectaſſe ferunt regnum coeleſte *Gigantes*,
ltaque congeſtos ſtruxiſſe ad Sidera montes.
Ovid. Lib. I. Met.

XXIV.

Quae eſt praecipua Amoris proprietas.

Cur adeo Paſtor Corydon ardebat Alexin (1)?
Pulcher erat, ſed non unus Alexis erat.
Hippolytum forma ſuperaverat alter et alter;
Hoc tamen Hippolyto ſaucia Phaedra fuit (2).
Cypria praeripuit pomum fatale Minervae;
Illa magis pomo digna, vel iſta fuit (3)?
Qui Venator erat Ganymedes fuſcus, et hirtus,
Nunc ſtat ab ambroſia, deliciisque Iovi (4).
Elyſio quondam placuit Proſerpina Regi;
Huic ego Sicelidas credo fuiſſe pares (5).
Paſiphae Taurum maleſano optabat amore,
Et qualem coniux Regia paſſa virum eſt (6)?

Quid

(1) Apud Virgilium Eccl. II.

(2) Apud Ovidium in Epiſt. Heroidum.

(3) Vincere erant omnes dignae, iudexque verebar
Non omnes cauſam vincere poſſe ſuam.
Ait Paris apud Ovid. in Ep.

(4) Iupiter nempe — Quondam alite verti
Dignatus, ſed quae portat ſua fulmina terrae,
Iliadem rapuit, qui nunc quoque pocula miſcet.
Lib. X. Met.

(5) Vid. Claudianus de Raptu Proſerpinae.

(6) Hic Crudelis amor Tauri, ſuppoſtaque furto
Paſiphae, miſtumque genus, prolesque biformis
Minotaurus ineſt Veneris monumenta nefandae.
Aen. VI.

Quid moror exemplis? nemo non errat Amantum;
Quod quis amat, Pulchrum credit, et inquit, id eſt.
Quisquis hic eſt, quem nos, veteresque vocamus amorem,
Caecus et imprudens hic Amor eſſe ſolet (7).

XXV.

De Chocolata.

Invideamne tuum Ganymedes inclyte nectar?
Namque ego me ſacrum nectar habere puto.
Perge puer! laetum *Chocolata* paretur ad ignem,
Verſet odoratas turbo citatus opes.
Bis duo triticei torrebis ſegmina panis,
Quem dederat primo flore ſubacta Ceres.
Perge! inquam, Americum propera mihi reddere potum,
Et compone ſuo murrhina vaſa loco (1).
Deinde

(7) Ideo Theocritus Idyllio X. τυφλος δ' ὐκ ἀυτος ὁ πλυτος, ἀλλα και ὠφροντισος ἐρως. Antiqui enim duos caecos dicebant, Cupidinem, et Plutum; quod non tantum ipſi ſint caeci, incurii, et imprudentes, ſed etiam alios caecos, delirosque faciant.

(1) Quae veteribus dicta fuere *Vaſa murrhina*, *myrrhea*, vel *murrhea*, mihi ſunt *porcellana*, ſeu *porcellania*; habent enim iſta cum illis aliquam ſimilitudinem. Vid. Plinius Lib. XXXVII. Cap. 2. Illa fiebant e murrha (μυρρα) ſpecie lapidis egregii; unde Martialis Lib. XIV.

Deinde ego, quod ſatis eſt, Peruani Corticis, addam;
Haec mihi non uno nomine cruſta placet.
Unica, quae certam praeſtat Medicina ſalutem,
Haec eſt; haec etiam *Loyolidum* eſt meritum.
Ipſe ego dentato Spumas cumulabo Cylindro,
Mexiaci florem nectaris ipſe legam.
Quas mihi lautitias faciant mea pocula, qui ſcit,
Guſtum divinae conditionis habet.
Aut hoc, aut nullum eſt, quod potant Numina Nectar;
Nectar et ambroſiam Diique, Deaeque bibunt.
Nolo tuos Hebe, quamvis ſis bella (2), liquores,
Si tua non noſtrum pocula nectar habent.
Credo ego, cum fugerent ſceleratas Numina terras,
Has etiam ſecum corripuiſſe dapes.
Nunc, ubi Pannonias Aſtraea redivit in Urbes (3),
Coelica cum priſcis moribus eſca redit.

XXVI.

Si calidum potas, ardenti *murrha* falerno
Convenit, et melior fit Sapor inde mero.

Propertius forte melius ad noſtra Porcellania dicit Lib. IV. el. 5.

Murrheaque in Parthis *pocula cocta* focis.

(t)

(2) Eſt enim formoſa et bella; ideo Pocillatrix apud Deos facta: πολυηρατος ἥβη a Graecis dicta, quod a multis ideo etiam amaretur, quod Dea Iuventutis ſit credita. Eſt autem Iuventus, ſeu aetas adoleſcentiae multum amabilis. Seu hinc Hebem, ſeu aliam hic intelligas, valet dictum.

3) Eſt enim Nova Iudiciorum Forma inducta in Tribunalia Hungariae.

XXVI.

Bibliotheca Theologica

Budae Anno MDCCLXXXIII. Menſe Iulio fulmine percuſſa.

Horruimus; quis enim non fulminis horreat ictu?
Horridus eſt annus, fulmina multa ruunt.
Ecce! tonat Coelum; rumpuntur fulmine nubes,
Tangitur irato Bibliotheca Iove.
Accelero; qua porta data eſt. — Mirabile viſu!
Salva eſt a magno Bibliotheca malo.
Teter odor, fumusque niger, cruſtraeque iacentes,
Fulminis incuſſi vimque malumque notant.
Conde tuos, dixi, temerarie Iupiter ignes!
Nam quaecunque iacis fulmina, vana iacis.
Iupiter hic alter Deus eſt; qui cuncta gubernat;
Illi, ſi neſcis, Bibliotheca ſacra eſt.
Hic tela illius, clypeique; hinc fulminat, et te,
Dogmataque, et peſtes, et ſcelus omne ferit.

XXVII.

ILL. ANTONIO VÖRÖS DE TARÁD

Conſiliario Aulico.

Parce meam rurſum ſtimulare in Carmina Muſam!
Blanditiam, et laudem fingere Muſa negat.

Si mea Muſa loqui debebit, vera loquetur;
Materies CAROLUS, quem deamamus, erit.
Audiet, et laudes EXCELLENTISSIMUS illas
Audiet, a tota quas meruit Patria.
Noli iterum noſtram ſtimulare in Carmina Muſam!
Non audit de ſe vera COMES SIGRAI (1).

XXVIII.

Vota

Pro Eodem Excellentiſſimo Comite.

(h)

LUX CAROLO natalis adeſt! CAROLO pia Vota
Tota Sacerdotum Turma, domusque ferat.
Tercenti Iuvenes, lectiſſima Melchiſedechi
Progenies, CAROLO ſi ſua vota ferunt,
Vivet. Tercenti poſſunt pallatia Coeli
Expugnare; eſt vis in Superos precibus.

XXIX.

(1) S. C. et R. A. M. Actualis Intimus Status Conſiliarius, Supremus Comes Comitatus Simeghienſis.

(h) Hoc, et antecedens Carmen eſt Extemporaneum, in Generali Cleri Regni Hungariae Seminario, quod erat Budae, et 300 Adoleſcentes alebat, efuſum.

XXIX.

JOANNI NEP. SAYNOVICS

Aſtronomo Celeberrimo.

(i)

Tu brevia aiebas, ego longa *palatia* feci;
Longa etenim quae ſunt, ſunt meliora: placent.
Longa ego quae dixi, dixi *pallatia* Coeli.
An ſint longa? magis noverit Aſtronomus.
Tu Coeli immenſi ſpatia et pallatia ſaepe
Dimenſuraſti. Qualia ſunt? loquere!

XXX.

EIDEM

Dum in Caſtello Gentilitio frequentiſſima fuit Nobilitas.

Vidiſtine aliquem tanto ſplendore nitere,
Quantus adeſt veſtra, et creſcit in aede, diem?
Hic Peſtum, et Tolna eſt; huc ſe mea Buda recepit;
Hic Albam, et Weſzprim, Vindobonamque vides.

i) Hic ille eſt *Sajnovieſius*, mihi amiciſſimus, qui cum Cel. *Hellio*, ut Veneris tranſitum per Solem obſervaret, Wardhuſium ad extremos Europae fines anno MDCCLXIX profectus, et inde feliciter eſt reverſus. Mortuus autem Budae an. MDCCLXXXV. die 4. Maii.

Ille etiam, quem Caesar amat, quo Patria gaudet,
Musarum columen, spes mea, laetus adest (1).
Si tantae veniunt Urbes ad Rura; diesque
Si saepe ad votum delicioſa redit;
Nec tu trans Danos Wardhusia gaudia quaeres,
Budenses nec ego sollicitabo Lares.
Hic tu non unam Venerem speculabere tutus,
Hic ego pro Gustu pulpita constituam (2).
Dicamus bona verba; Dii pia vota secundant,
Vivat, qui nobis Otia laeta facit!

XXXI.

Dynastae Tordasienſi.

(k)

Rura colis? coluisse sat est; iam frigida Bruma
Personat, et niveo vellere Rura tegit.
Dure! fugis nostram, quae te desiderat, Urbem,
Et quo Bruma riget Sidere, Rura colis.
Te

(1) Quis ille fuerit? cui hoc vere sincereque dictum est, necesse non erat exprimere; cum quisque suos oculos in eum defixerit, et cum gaudio verba mea acceperit.

(2) Erat Hermopolitanus eo tempore nonum in annum Professor P. O. Aesthetices in Regia Scientiarum Universitate Budensi.

(k) *Ignatio Nagy* de *Also Szomolany*, ad quem Iure Uxorio *Sajnovics* pervenit Dynastia Tordas in Albensi Provincia sita. Illi inscripta est *Ars Poetica Generalis ad Aestheticam, seu Doctrinam Boni Gustus conformata.* Budae Typis Regiae Universitatis An. MDCCLXXXIII.

Te dulcis Coniux, te dulcia pignora Nati,
Et qui iam luci est proximus, ille rogat.
Ferreus, et Scythica glacie mage frigidus esse
Debet, qui tali tempore lentus abest.

XXXII.

Eidem Reduci.

Venisti tandem, tuaque expectata tueri
Ora datur (1)! Salve vita, salusque piae
Coniugis! in viduo quae plorat morbida lecto,
Salve praesidium, deliciumque domus!

XXXIII.

Ad Poetam

Qui Latina Carmina dedit in Mortem Mariae Theresiae Aug.

Prima Latinarum Musa est tua Candide Vates,
Quam video doctas diffluere in lacrimas.
Digna etiam his lacrimis fuit AUGUSTISSIMA Princeps,
Cui similem in tota non legis Historia.
Flevimus, et multo complevimus aethera planctu,
Iam satis est; Caesar sceptra, thronumque capit.

(1) Sic aiebat Anchises Aeneae in campos Elysios venienti. Aen. VI.

XXXIV.

Ad Solem.

Dum me Mercurianum Somnus diuturnus premebat.

(e)

Sol! mihi nunc opus auxilio eſt. Tu pellere Noctem,
Pellere tu Somnos, et revocare potes!
Huc mihi ades! nam Somnus habet mea lumina; Somnus,
Quemde Cimmerio credo venire ſpecu.
Ille

(e) *Somnus* eſt *Noctis* filius, ait Heſiodus in Theogonia, et *Mortis* frater apud Homerum Iliad. XIV. a Virgilio *Conſanguineus* Mortis Aen. VI. ab Ovidio *Imago* Mortis adpellatur; Stulte, quid eſt Somnus, gelidae niſi Mortis imago? Antiqui *Deum* eſſe exiſtimarunt; nam Orpheus illi hymnum compoſuit, et thymiama cum papavere adolevit. Quid ego? —— Figuram eius dedit idem Orpheus, Tibullus Lib. II. et Ovidius Lib. XI. Met. Filios habet multos; Ovidius tres nominat: Morpheum, Icelum ſeu Phobetorem, et Phantaſum a diverſis actionibus Graece dictos. Macrobius apud Latinos dividit Somnos in quinque Claſſes; quod vide. Homerus in Iliade tradit, Somnum ſedem habere in Lemno; Ovidius apud Cimmerios Scythiae, vel Italiae populos; quippe a Scriptoribus utrobique traduntur obſcuri, atque umbroſi; quia radii Solis raro ad eos perveniunt. Lucianus Civitatem Somni deſcribit Lib. II. Hiſt. Verae.

Multa quies habitat; ſaxo tamen exit ab imo
Rivus aquae Lethes &c. Ovid. in Met.

Ille papavereo conſperſit membra liquore,
Et tenet in quartum vincta Sopore diem.
Forte Soporifera me totum merſit in unda,
Et nox una mihi perpetuanda data eſt?
Somnia circumſtant varias imitantia formas,
Et iam mille animo dant ſimulacra meo.
Non, ſi terra tremat; non, ſi gravis intonet aether,
Non ſi forte ruant fulmina, Somnus abit.
Hoc etiam Carmen, quod nunc tibi mitto, Phobetor,
Haec etiam Somnus mittere vota negat.
Si tibi Cura mei eſt Genii, depelle Soporem,
Inſontemque mihi Phoebe remitte diem!

XXXV.

Ad Marcum

Qui de longo Cynthiae Somno querebatur.

Longa mora eſt; nimium dormit tua Cynthia, dormit.
Hoc dolet; et Somnum pellere Marce times
Qui tibi ſenſus ineſt, ſenſu oblectatur eodem
Ille etiam, qui nunc lumina Somnus habet.
Paſce tuos ſenſus in amoena Somne puella!
Te mage, quam Marcum, Cynthia bella cupit(1),

(1) Somne quies animi, placidiſſime *Somne* Deorum,
Pax animi, quem Cura fugit &c. Lib. XI. Met.

XXXVI.

De Nocte.

(1)

Est Dea, quae nigro Coelum praetexit amictu;
Horrida, sed multis Nox adamata Dea est.
Haec illi dos est, et virtus optima, dicis,
Quod tegat obscuro plurima facta peplo.
Haec illi dos est, ego dico, et pessima virtus,
Quod tegat obscuro plurima facta peplo.
Pone tuum Nox atra peplum, claram indue lucem!
Innocua hoc tantum Nox potes esse modo.

XXXVII.

Querela et Gemitus.

Iam licet; ad tenebras i *Mercuriane*! reconde
Frontem, oculosque; venit Nox tibi chara, venit,
Exosum-

(1) Aratus *Noctem* adpellat antiquam Deam; Hesiodus Matrem Deum, Hominumque. Orpheus illi hymnum concinit. Apud Latinos Statius Lib. II. Theb. sic illi:

Nox! quae terrarum, coelique amplexa labores
Ignea multivago transmittis Sidera lapsu &c.

At forte aliquando sic etiam invocatur, uti Laverna apud Horat. Lib. I. Serm. 16. Pulchra Laverna!

Da mihi fallere, da iusto, sanctoque videri!
Noctem peccatis, et fraudibus obiice nubem.

oſumque tegit Solem, teſtesque repellit (1).
Nunc geme, et in fletum lumina ſolve! Dolor
mpreſſus maiora ſolet tormenta creare,
Et ſuffocatae virus habent lacrimae.
c, dum nigra, ſilensque umbra eſt, iuvat ergo dolori
Indulgere meo; frangitur ille dolor,
ii libertatem reperit. — Dolor improbe perge!
Nunc ſaevire tibi, qua data porta, licet. —
: mei gemitus, lacrimaeque per ora! querelas
Umbra profunda meas hauriat! Umbra ſciat,
is mea corda dolor cruciet? lacrimisque profuſis
Noctis inornatae tegmen, et ora natent.
nne mihi tecum nihil eſt! qui ſaepe vocatus
Improviſa mihi perfide terga dabas,
m curas mollire meas, et corde liceret
Vertere triſtitiae pondera. Abi! fuge iam
ntes in lacrimis oculos. Nox integra flendo
Ducetur; dulces ſunt mihi nunc lacrimae.
la meos Aurora redux abſtergere fletus,
Sed non moerorem pellere ſola poteſt. — —
te tuas Aurora rotas, lucemque retarda!
Flere placet; ſine me flere, deinde veni.

XXXVIII.

De Anno MDCCLXXIII.

(m)

ic meruit; veterem Solio deiecimus Annum;
Saturnus vitae Stamina falce metit (1),

Nox eſt arcani fidiſſima; ideo Praeclarus Angliae Poeta Youngh ſuas querelas effudit ad fida ſilentia Noctis.

) Anno S. J. fatali.

Et prohibet tali monumentum ponier Anno,
Qui nullo in Faſtis nomine dignus erat.
Ille vbi Letheas exul peruenit ad undas,
Poenitet, et regni me pudet, Annus ait.
Vtque meam ſubeant aeterna obliuia mentem,
Pocula de Lethe flumine multa bibam
Sic facit. At, ſuperas ne forte rediret in auras,
Plurima Rex Erebi vincla ferenda dedit.

XXXIX.

Puero ſingularibus Dotibus ornato.

Quae tibi propitium potuit dare munera Coelum
O Puer! aetati contulit illa tuae.
Heu me! quid ſperem? repetet ſua munera Coelum,
Et te forte ſuas iam iubet ire domos (1).

(1) *Saturnum* Veteres eum eſſe voluerunt, qui Curſum et converſionem ſpatiorum ac temporum contineret; qui Deus Graece id ipſum nomen habet. Κρονος enim dicitur; qui eſt idem χρονος, id eſt, ſpatium temporis. Saturnus autem eſt adpellatus, quod ſaturetur Annis; ex ſe enim natos comeſſe fingitur ſolitus, quia conſumit aetas temporum ſpatia, annisque praeteritis inſaturabiliter expletur: inquit Cicero Lib. II. de Nat. Deor. n. 25. Ita etiam, et multo alia Macrobius Lib. I. Saturnalium.

(1) Metus iſte oritur ex V. Sapientiae Capite. Placens Deo factus eſt dilectus, et vivens inter peccatores, translatus eſt. Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.— Conſumatus in brevi explevit tempora multa; placita enim erat Deo anima illius; propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.

SIL-

SILVAE
PARNASSI PANNONII.
LIBER II.

I.
Ad Amicum
Quid Ruri faciam? quaerentem.

Quid faciam Ruri? quaeris. Reſpondeo: Vivo;
Hic etenim Vitam me reperiſſe puto.
Elyſium Ruri eſt, Mors pallida regnat in Urbe;
Ut Mors illa tibi ſic mihi Vita placet.
Si tibi cura mei eſt, velut eſt mihi cura tuorum,
Urbem, dum ferior, commemorare cave.
Tu valeas, ego Rura colo. — Salvete Camoenae!
Et vos agreſtes, turba beata, Deae (1)!

De-

---

(1) *Muſae*, et *Nymphae* Ruri habitant: ideò Muſae dicuntur Heliconiades, Parnaſſides, Caſtaliae, Pegaſides, Aga-

Devenere locos laetos, et amoena vireta —
Eia MARO! Carmen dic mihi porro tuum (2).
Nam quae de triſti Vates depingit Averno (3),
Effigiem vivae Mortis et Urbis habent.

II.

Poeta

In Villa Albana prope Tirnaviam feriatur.

Silva! Hominum, Dryadumve quies, et Cura Deorum,
Ad tua dum redeo gaudia, pande ſinum!
Heſpe-

Aganippeae, Pieriae &c. Nymphae autem Lemoniades Oreades, Dryades, Hamadryades, Napeae, Naiades &c. quae nomina apud Graecos ſignificant illa loca et Officia, quae colunt Muſae, et Nymphae.

(2) Eſt verſus Virgilii ex Lib. VI. Aen. quem Poeta una cum aliis in oculis et mente habuit.

(3) Veſtibulum ante ipſum, primisque in faucibus Orci
Luctus, et ultrices poſuere cubilia *Curae*,
Pallentesque habitant *Morbi*, triſtisque *Senectus*,
Et *Metus*, et maleſuada *Fames*, ac turpis *Egeſtas*;
Terribiles viſu formae, *Lethum*que, *Labor*que,
Tum conſanguineus Lethi *Sopor*, et *mala* mentis *Gaudia*, mortiferumque adverſo in limine *Bellum*,
Ferreique *Eumenidum* thalami, et *Diſcordia* demens;

Aen. VI.

Heſperides valeant (1), valeant Peneia Tempe(2);
Tu mihi prae fiſto Silva virore places.
Hic Heliconiadum Chorus eſt, hic innuba Pallas,
Hic etiam ſumta gaudet Apollo lyra (3);
Et modo pars docta modulatur carmina buxo,
Pars agitat feſtos per nemus omne iocos.
Accipe me, vigilesque mea de mente labores
Exige! deliciis hoc potes ipſa tuis.
Saepe alias pulſa Curarum nube ſerenum
Te nobis memini reſtituiſſe diem.
Aeger eram nuper, languebant corpore vires;
Ad tua ut acceſſi gaudia, ſanus eram.
Nempe poteſtatem in morbos, artemque medendi
Ille tibi, qui te curat, Apollo, facit.
Nunc quoque, ſic video, Quercus quae proxima Coelo eſt,
Annuit, et prono vertice ſigna dedit.

Sil-

(1) *Heſperides* erant Heſperi filiae *Aegle*, *Arethuſa*, et *Heſperithuſa*, quae coluere Hortum in Africa, in quo fuit nemus aureum cum pomis aureis: ita Poetae. Atlas Heſperi frater cinxit eum montibus, deditque Cuſtodiae Draconis inſomnis. De Horto illo Virgilius Aen. IV.

Oceani finem iuxta, Solemque cadentem
Ultimus Aethiopum locus eſt, ubi maximus Atlas
Axem humero torquet Stellis ardentibus aptum &c.

(2) Eſt nemus Aemoniae, praerupta quod undique claufit
Silva, vocant *Tempe*, per quae *Peneus* ab imo
Effuſus Pindo ſpumoſis volvitur undis.
Ovid. Lib. I. Met.

(3) Dum Athenaeum et Academia ſtabat Tirnaviae, hae in Villa ſolebant Academici captare otia.

Silveſtres igitur iuvat incoluiſſe Penates:
Et magnos capiunt frondea tecta Deos.
Hic ego nec Ventos (4), nec anheli incendia Solis,
Aut *Sirii* ardentes pergo timere faces (5).
Tu Canis illius flammas, tu ſpicula Solis,
Ventorumque minas imperioſa domas.
Dum *Notus* adverſis pluviam de nubibus adfert,
Tangere me pluviae ſaepe verentur aquae.
Si ſpatiando novas mens eſt mihi quaerere Vires,
Aura tuo iuſſu, quae comitatur, adeſt.
Hic me nec montes, nec inhoſpita ſaxa morantur;
Molle, quod invideat Theſſalus(6), aequor habes.
Si me forte bonus vocet ad ſua munera Somnus,
Laeta mihi mollem conſtruit herba torum.

Hic,

(4) Adverſi rupto —— —— turbine Venti
Conſligunt, Zephyrusque, Notusque, et tactus Eois
Eurus aquis; ſtridunt Silvae, ſaevitque Tridenti
Spumens, atque imo Nereus ciet aequora fundo.
Aen. II.
Omnia Ventorum concurrere praelia vidi. Georg. I.

(5) *Syrius* appellatur ſtella fixa in ore *canis maioris*, inter omnes fixas primae magnitudinis maxima, de cane *Manilius* Lib. V. Aſtronomicon

Cum vero in vaſtos ſurgit Nemeaeus hiatus,
Exoriturque Canis, latratque Canicula flammas,
Et radit igne ſuo, geminatque incendia Solis;
Qua ſubdente facem terris, radiosque movente,
Dimicat in cineres Orbis, fatumque Supremum
Sortitur, languetque ſuis Neptunus in undis,
Et viridis nemori ſanguis decedit, et herbis,
Cuncta peregrinos orbes animalia quaerunt &c.

(6) Theſſalia regio amoena, ſed montoſa: de qua in I. Libro priori.

bi lene tumens tacito pede labitur Amnis,
pitium *Nais* saepe, libensque dedit.
ties viridi lentus recubabo sub umbra!
m variis *Morpheus* ludet imaginibus!
ihi vel Coluber, vel echidna timebitur ulla;
us in hoc Coluber, Vipera nulla loco est.
im *Eurydice* vetitos dum fugit amores,
iiferum presso traxit ab angue malum.
enenosos Nymphae pepulere Chelydros:
iuge moeret adhuc ORPHEUS inde sua (7).
ien *Eurydicem* Cithara dum concinit ORPHEUS,
quis adest, animis et favet ore Deus.
erit vicina Ceres (8); cantare verentur,
ictas ultro se profitentur aves.
o, dum validas traheret modulamine quercus,
ret et flumen praetereuntis aquae.
tuos iterum mea Silvula, pande favores!
a tibi, sed erunt carmina dona, feram.

III.

Academia Nobilium quae fuit Tirnaviae.

e! quae mediis in Coelum surgit Athenis,
hra est, augusta est, et Iove digna domus,
Hic

. Virgilium Lib. IV. Georg. aut Ovidium Lib. et.

Corona huius Silvae sunt Agri per omnes late os effusi, et Cereri consecrati.

Hic eſt Nobilitas, hic eſt Academia noſtra;
Hic ſua Divus Honor templa, focumque tenet(1);
Hic habitat Probitas (2), hic eſt Sapientia vera (3);
Hic agitat Celebres Caſta Minerva choros (4);
Hic

(1) *Honor* dicitur Divus: Videsne, quaerit Cic. Lib. II. de Nat. Deor. Templum Honoris a M. Marcello renovatum, quod multis ante annis erat bello Liguſtico a Q. Maximo dedicatum? — Erat autem templum *Honoris* cum templo *Virtutis* ita coniunctum, ut ad Honorem ingreſſus eſſet per Virtutem; quo ſignificabatur non niſi per Virtutem eſſe aditum ad Honorem.

(2) Quod Horatius Mecaenati ſuo dixit Lib. I. Serm. 6. hoc ego tribui Rectori illius Academiae, nempe:

Magnum hoc ego duco

Quod placuit tibi, qui turpi ſecernis honeſtum,
Non patre praeclaro, ſed vita, et pectore puro.

Dicerem illum, ut ab illius etiam nomine, ſplendoreque Virtutis et Sapientiae honorem conciliem huic operi, niſi metuerem, ne infra dignitatem illius ſit iſtud epigramma. Eſt enim ille iam Epiſcopus Vatienſis.

(3) Magna quidem Sacris quae dat praecepta libellis
Victrix Fortunae Sapientia; ait Iuvenalis Sat. XIII. Sed magis accommodate Terentius in Adelphis: O Demea! Iſthuc eſt Sapere, non quod ante pedes modo eſt, videre, ſed etiam illa, quae futura ſunt, proſpicere. Perfectam Sapientiae Imaginem, et virtutem exhibent Libri Divini.

(4) Viri erant Religioſi et docti, qui profanas etiam Scientias tradiderunt.

:teri de Stirpe ſtudet, creſcitque Iuventus(5).
ſcat, et innumeros det, precor, illa Patres!

IV.

De magno Amoris Imperio.

noſum *Corydon* quod amet, non miror, *Alexin*;
n Coelum et Terram commovet unus Amor.
ı Terrarum video. Heu me! Hominesque,
Ferasque,
Genus undivagum poſſidet ille Deus.
iam Volucres, et quidquid ab aere vivit,
ſua iam dudum iura coegit Amor (1),
aliquis Superum, qui non ſentiret Amorem?
nma etiam Coeli Sidera verſat Amor (2).
ıihi nunc Sodes! qui tot, tantisque potitur
periis, non eſt imperioſus Amor?

Sic

---

i dictum eſto: Equid in Antiquam Virtutem, ani-
que viriles et pater Aeneas, et avunculus excitat
:or? Aen. III.

ane adeo genus in terris hominumque ferarumque,
: genus aequoreum, pecudes, pictaeque volucres
furias, ignemque ruunt: amor omnibus idem.

Lib. III. Georg. Ea de cauſſa Graecis ſaepe dicitur πανδαματωρ ἐρως, ſeu Amor omnium Domitor.

:gnat (Amor) et in Superos ius habet ille Deos;
it Ovidius Epiſt. 3. Virgilius autem Ecc. 10.
ıia vincit Amor.

Sic mihi nuper ait *Brutus*, dum fervet Aenote;
Miraturque animo frigus ineſſe meo.
Imperioſus Amor non eſt, reſpondeo, *Brute*!
Aut ſi eſt, a nobis imperioſus is eſt (3).

V.

De Seminario Generali, quod erat Budae pro Clero Regni Hungariae depoſitum.

(a)

Vidi MERCURIUM venientem; dextera Virgam,
Qua potis eſt animas diſſociare, tenet.
BUDA relinquenda eſt; AGRIAM pars altera, dixit,
Altera POSONIUM, non reditura, petat.
O! mons, O! magnis habitata palatia Divis (1)!
O! AGRIA in CAROLO terra beata tuo (2)!
Tolle

(3) Tyrannus Cupido a Platone dictus eſt, quod in animos ſaevire ſoleat; id quod etiam Euripides in illo verſiculo, quem Abderitae deleri cupiebant, oſtendit: σὺ δ' ὦ θεῶν τύραννε, κ' ἀνθρώπων ἔρως! Hanc autem Tyrannidem ab iis accipit, quos eadem torquet; eo prorſus modo, quo Fortuna Divinitatem: Nos facimus Fortunam! Deam, coeloque locamus.

(a) Separatio et transfatio huius Seminarii facta eſt Anno MDCCLXXXIV. menſe Aprili.

(1) Arx Regia in Monte collocata datur Stationi, habitationique Cleri.

(2) Excellentiſſimus CAROLUS Comes ESZTERHAZY DE GALANTHA. Epiſcopus Agrienſium.

Tolle tuos ſacra Turba Deos, age tolle Penates(3)!
Haec ſunt Auſtriaci iuſſa ſuprema Iovis.
Seu tibi calcandus ſit *Poſonienſis* Olympus,
Seu maneant AGRIAE civica tecta, bene eſt.
Si tibi JOSEPHUS pandit pallatia, ſi te
CAESAR JOSEPHUS curat, amatque; ſat eſt.

VI.

Doctoribus Theologiae, dum Regia Scientiarum Univerſitas Budâ demigravit.

Imus, ut imperium eſt! Vos Arx *Piſonia*, ſed Nos
Peſtani expectant ad ſua tecta Lares.
Vos ubi Apoſtolici latuere Inſignia Regni (1),
Diva, cui curae eſt THEOLOGIA, locat (2).
Nos ubi Iuſtitiam THEMIS illibata regebat,
Accipiet facili Curia priſca ſinu (3)

3) Facultas, ſeu Schola Theologica Regiae Scientiarum Univerſitatis portio cum Seminario Generali abivit ex Urbe Buda. Aeneas quoque Penates ſuos, magnosque Deos Troia ſecum aſportavit. Aen. II.

1) Eodem anno perlata ſunt Viennam.

2) *Theologia*, *Philoſophia*, et ſimilia nomina Technica, iam alioqui Civitate donata, neceſſitate metri non ſine multo aliorum exemplo ſic uſurpare placet, ut vides.

3) Profanae Scientiae in eam domum immigrarunt, in qua prius Iudiciaria Regni Tribunalia conſtituta fuere.

Creſcat Athenaeum JOSEPHO CAESARE, creſcat,
Et quanta eſt, totam compleat Hungariam!
Spargite de ſacro lucem, non fulmina, monte,
Relligio lucem, non grave fulmen, amat (4)
Noſtrum erit Hungarici curare Roſaria *Paeſti* (5),
Et Patrias late ſpargere odore plagas.

VII.

De Horto

Excellentiſſimi Comitis

ANTONII JANKOVICS

de Daruvár.

Hoſpes! ſi neſcis, hunc Pharmacopoeus habebat
Hortum, nunc Hortum non habet ille ſuum.
Pharmacopoeorum Numen, quem noſcis, APOLLO
Hic fuit, atque alios transtulit in Dominos.
De *Daruvár* Comes eſt, Comiti lectiſſimaConiux (1),
Deliciae populi, deliciaeque meae.

Ille

(4) Non enim fulminare, ſed illuminare debet Theologia: Mons illi prorſus idonee fuit adtributus.

(6) Oppidum Lucaniae amoeniſſimum felici ſub Coelo, et Roſarum abundantiſſimum. *Paeſtana* Roſaria Celebrat Ovidius et Virgilius; quae Poeta propter ſimilitudinem nominis et rei ad *Peſtum* urbem Hungariae transtulit.

(1) *Catharina* ex illuſtri veterique proſapia *Kiss* de *Nemeskér.*

Ille his cum toto ſua pharmaca tradidit Horto,
Utque Salus hic ſit perpetuata, iubet (2).
Nonne vides? Hygiaea recens comitatur euntes(3);
Ad dominos ſurgit laetior herba pedes.

VIII.

De Coniugio,

Reſponſio Amico data.

Quae mihi de Maio tua venit epiſtola menſe,
Connubiale refert te ſubiiſſe iugum.
Fallor, an hoc facto gaviſa eſt pronuba Iuno?
Vel dedit accenſas dira *Megaera* faces?
Noſco tuam Sponſam, noſco tua corda *Metelle*;
Annuat, et laetus ſit tibi ſemper Hymen!

(2) *Salus* a Romanis ut Dea culta fuit; quae cum nominabatur, Feriae fuerunt, teſtante Macrobio. Fingebatur in forma Mulieris in Solio ſedentis; pateramque tenentis; prope erat ara, quam anguis caput adtollens ambiebat. Impium igitur erat apud eos dicere, quod lego in Adelphis Terentii: Ipſa ſi cupiat Salus, ſervare prorſus non poteſt hanc familiam.

(3) Ὑγιεια, vel Ὑγεια, Hygiaea Sanitas, fere eſt eadem Graecorum Dea, quae Romanorum Salus, Aeſculapii aut uxor, aut filia. Simulacrum illius Pauſanias apud Sicyonios fuiſſe ait, quod vix adparere videbatur; cui mulieres capillos dicabant, reſecabantque.

Quum mihi coniugium ſuades, ludisne? vel optas
Noſtra Sacerdotum vincula comminui (1)?
Non ego, ſi SEXTI Pietas mea vincula rumpat (2),
Suſtineam ſocii fedus inire tori.
Philoſophi dictum (ſic longa eſt fama) recordor,
Qui bis in adſumta coniuge laetus erat.
Prima dies miſſi laeta fuit, qua ducitur uxor;
Altera, quae terrae contumulatur, ait.

IX.

DE JOANNE PALAFOX

dum iterum anno MDCCLXXXV agatur, ut in numerum Coelitum ſolemniter referatur.

(b)

Phaebe Pater, qui fata vides, da ſcire quod opto!
Scis etenim, quidquid ſcire Poeta cupit.

Ad-

(1) De Coniugio et Coelibatu Sacerdotum multi Sermones et libri ſunt facti, ſparſique poſtremis his annis: nihil eſt in eis dictum, quod antea dictum non fuit.

(2) *Pius* VI. Pontifex Romanus.

(b) *Joannes de Palafox et Mendoza* natus eſt patre *Jacobo de Palafox* Marchione de *Hanza* in Arragonia anno MDC. Philoſophiae et Iurisprudentiae ſtaduit Salman-

ti-

Accipietne ſuas tandem PALAFOXIUS aras?
Sic ego te nuper Phoebe precatus eram (1)
Adfuit, et ſubito mentem mihi corripit oeſtro;
Sentio fatidicum cuncta per oſſa Deum.
Non facit Omnipotens, quod vult Hiſpania, dixi
Roma poteſt Sanctos dicere, non facere (2).

ticae; a *Philippo* IV. Rege fuit aſſumtus in Conſilium et Tribunal Bellicum, deinde in Iudicum. Poſtea ingreſſus eſt Ordinem Eccleſiaſticum, factus Epiſcopus Angelopolitanus (*la Puebla de los Angelos*) in Regno Mexicano ſeu *Nova Hiſpania* anno MDCXXXIX. Dimiſſo hoc Epiſcopatu (ſponte, vel invitus?) redivit in patriam; ſed Epiſcopatum *Osmenſem* anno MDCLIII oblatum recuſavit per biennium. Tandem in eius adminiſtratione mortuus eſt 30. Septembris Anni MDCLIX. Nihil dicam, quod non eſt exploratiſſimum.

1) Narrat Poeta ſe nuper Oraculum Phoebi (ſunt enim eius reſponſa certiſſima) popoſciſſe eo fere modo, quo Aeneas Lib. III. apud Virgilium: cuius meminiſſe volo. Reſponſum, quod dedit, ſequitur.

2) Eſtne Roma infallibilis in Beatificatione et Canonizatione Hominum &c.? Divinae illius Providentiae quae promiſſa fuit Eccleſiae, negotium eſt, videre, ne quis pro *Sancto* colatur, et colendus propo-natur, qui Dei iudicio factus eſt reprobus.

Multa ſui documenta dedit PALAFOXIUS (3); *illum*
Orbis uterque mali poenituiſſe ſciet (4). *Exi-*

(3) In America dum fuit, multas controverſias habuit cum *Dominicanis*, *Franciſcanis*, *Auguſtinianis*, *Proregi* et *Archi Epiſcopo Mexicano*; ſed omnium multo graviſſimam cum *Ieſuitis* propter Decimas, et peculiaria, quibus illi fruebantur, privilegia et immunitates. Anno illius ſeculi quadrageſimo ſeptimo prohibuit duobus Ieſuitarum Collegiis, ne predicarent. Illi autem et verbum Dei praedicarunt, et Confeſſiones excepterunt. Epiſcopus duobus Collegiorum Rectoribus impoſuit poenam Excommunicationis latae ſententiae. Igitur die 20. Martii *Ieſuitae* elegerant *Conſervatores*, qui poſt conſilia ſexdecim diebus agitata fecerunt edictum: Patres eſſe reſtituendos ad uſum et poſſeſſionem praedicandi, audiendique poenitentes. *Palafox* die 16. Iunii diſceſſit ab urbe, et latuit in eremo. Capitulum credidit Epiſcopatum vacare, deditque licentiam *Ieſuitis*; qui tamen die 19. Iulii ſuam priorem licentiam produxerunt. Controverſia delata eſt ad *Innocentium X. Pont. Max.* qui continuo conſtituit ſingularem Congregationem ex quinque Cardinalibus et quatuor Praelatis. Iſta vero cenſuit et *Epiſcopum*, et *Ieſuitas*, et *Conſervatores* erraſſe: *Ceterum ſerio in Domino hortatur et monet Epiſcopum, ut Chriſtianae manſuetudinis memor erga Societatem Ieſu, quae laudabili ſuo inſtituto in Eccleſia Dei tam fructuoſe laboravit, ac ſine intermiſſione laboret, paterno ſe gerat affectu, eamque in regimine Eccleſiae ſuae perutilem adiutricem agnoſcat, benigne foveat, et priſtinae ſuae benevolentiae reſtituat.* Haec et multa alia videri poſſunt in Bulla *Innocentii X.* die 14. Martii an. MDCXXXVIII. edita.

Exiget e calido phantasmata vana cerebro (5),
Et dabit ingenio frena severa suo (6).

edita. Hoc edicto non fuit finita lis; Episcopus enim multas alias accusationes adtulit, et causam usque ad annum MDCLIII. produxit, *Iesuitae* se purgarunt, et isto tandem anno Congregatio ultimam suam Sessionem habuit, ac inter alia *Palafoxio* scripsit: *Sicut eadem Congregatio dictos Societatis Iesu patres seria admonitos cupit, ut omni obsequio et observantia certare studeant in amplitudinis tuae merita ac dignitatem, —— —— ita pariter te etiam atque etiam hortatur, ut ea, qua decet, in tam laudabilem proficuumque Ordinem existimatione Religiosam hanc familiam in Vinea Domini summo cum fructu ac labore desudantem paterna charitate amplectaris, ac foveas.* —— Deinde ad petitionem *Iesuitarum* severum prorsus Monitorium dedit, et praecepit sub Censuris, ut Decretum publicetur, *Societas Iesu* non molestetur, suis privilegiis uti sinatur &c. anno MDCLIII. die 17. Septembris. Decretum istud fuit iterum confirmatum die 9. Octobris eiusdem anni, et mandatum, ut publicetur. —— Haec omnia, et multo plurima alia continentur in scripto Romae anno MDCLIII. die 5. Novembris typis evulgato, cui titulus: *Processus et Finis Causae Angelopolitanae* &c. in fol. min. —— *Palafox* perdita lite deseruit Episcopatum.

(4) *Pellicot* (*Vie de Mr. Palafox*) ait: Quid sit de hac causa sentiendum? sic habeto: Episcopus potuisset suum fervorem frenare, et coercere; in processu enim huius causae valde multum ignis ostendit. Agnovit suum errorem post suum in Hispaniam reditum; ubi sincera ductus poenitudine priorum factorum, retracta-

vit

XI.

De Pomoerio Urbis Budae.

Hic, ubi CHRISTOPHORUS NICZKY captare Quietem
Fertur (1), CORVINI Principis Hortus erat (2).
Quam Sapiens, et quantus erat Rex, Miles, et Heros;
Tantus JOSEPHO Rege Miniſter hic eſt.
Sed nec adulari, nec Momos tangere mens eſt;
Iſte Hortus potior ſitne, vel ille? volo.
Hortum CORVINI Libri multo ore loquuntur;
Hortum CHRISTOPHORI Buda ſuperba videt.
Regius ille fuit, titulo, ſumtuque decorus;
Hic decus a Guſtu nobiliore trahit.
Et quanto minor eſt NICZKY te Maxime Regum
MATTHIA! tanto pulchrior Hortus hic eſt.
Artem et Naturam hoc uno coniunxit in Horto,
Qui bene Naturam novit, et artis opus.

XII.

(1) In Palatio et Horto Guſtus exquiſiti. Legitur autem in fronte huius palatii iſta epigraphe: QUIETI, NON OTIO.

(2) *Matthiae Corvini* Regis Hungariae bello et pace, literis et Sapientia celeberrimi, qui Budam ſuis operibus mirifice exornavit, et orbe toto famoſam reliquit.

XII.

Inſcriptio
in novam Domum Heri Hoſpitalis.

Huc quicunque venis Hoſpes! bene veneris;
Hic eſt,
Qui ſolet adventu laetior eſſe tuo (1).

XIII.

Illuſtriſſimo D. Comiti
PETRO DE RÉWA
Epicedium poſtulanti.

Quas TIBI debueram, lacrimas et Carmina mitto!
Et fletum et Carmen iam finit ire Dolor.
Nuper enim vocemque meam, lacrimasque repreſſit,
Et Muſa inſolito muta dolore fuit.
Occidit illa TUI Generis Matertera (1)! Quantus
Heu! mea nunc iterum corripit oſſa dolor.
Luge-

1) Vera et adcommoda erat inſcriptio in *Vahl* Albenſis Provinciae oppido. Recte etiam a Theophraſto eſt laudata Hoſpitalias. Eſt enim, ut mihi quidem videtur, ait Tullius Lib. II. Off. valde decorum, patere domos hominum illuſtrium illuſtribus hoſpitibus.

1) *Barbara*, Excell. Comitis *Joannis Csáky* Iudicis Curiae Regiae Coniux, nata a Comitibus *Eſzterházy*, mulier

Lugete ESTORADAE! et CSAKII! quia BARBARA, veſter
Sanguis, amorque brevi morte peremta iacet.
Flet Pietas, ſpargitque comas, et pectora plangit;
Relligio triſti tempora fronde notat.
Ah utinam Pietas CSAKIAE, virtusque ſuperſit,
Procedatque pari femina, virque via!
Sed miſeram aetatis ſortem! dum talia corde
Vota gero, aetatis ſentio damna meae.

XIV.

Ordo virorum Religioſorum ad S. Paulo Eremita nominatus, uno die per Hungariam ſublatus anno MDCCLXXXVI.

(c)

Venit ſumma dies et ineluctabile tempus (1)!
Haec puto Corvorum carmina nuper erant (2):
Pri-

mulier religioſiſſima, et omnibus ſaeris profanisque virtutibus usque ad admirationem et rarum exemplum ornatiſſima, brevi ex morbo mortua Budae anno MDCCLXXXVI.

(c) Viceſimo die menſis Martii; quod in Memoriam adnotare libuit.

(1) Ex Aen. II. Virgilii.

(2) *Corvi* inter Aves *Oſcines* habebantur, dabantque Carmine, ſeu Cantu ſuo augurium apud Romanos: ita

Hora-

Primus in Hungaria, et celeberrimus Ordo Virorum
Occidit! exequias Patria Terra ferat (3).
Heu quantam facit una dies, miſcetque ruinam!
Una dies morti Clauſtra, Hominesque dedit.
Felices, quos ante vetus ſepelivit Eremus!
Paupertas illis tuta, levisque fuit.

Cer-

Horatius Lib. III. Ode 27 diſerte ait *Corvum oſcinem.* Quod Corvi de interitu *Paulinorum* augurium ſuo cantu fecerint, mirum non accidit illi, qui meminit Corvos huic Virorum Ordini peculiariter fuiſſe addictos. Nam ut infra etiam dicam, *Paulum Thebaeum*, *Paulinorum* patrem aut anteſignanum Corvus adlato quotidie pane ſuſtentavit. In memoriam huius beneficii Corvos illi ſuis in domibus veros, et fictos habuerunt, et Signum pro ſe uſurparunt.

(3) *Paulus* Anachoretarum Patriarcha ſeculo tertio natus omnem fere aetatem in ſolitudine conſumſit; vitam eius non ineleganti oratione, ſed neſcio qua fide? dedit Divus *Hieronymus*. *Euſebius* vir quidem pius, patria Strigonienſis, *Paulum* imitatus cum nonnullis aliis, vitam ſolitariam agebat in monaſterio *S. Iacobi* prope *Patach*. Ut autem ſuos mores ad normam religioſam melius componerent, a *Paulo* Epiſcopo *Weſzprimienſi* Conſtitutiones quasdam acceperunt, et Congregationem a nomine *Pauli Eremitae* nuncuparunt. Anno deinde MCCCVIII, cum ei praeeſſet *Laurentius* quidam Strigonienſis, a *Clemente V. P. M.* regulam *S. Auguſtini* obtinuerunt. Ordo totus anno MCCCXVII. a *Joanne XXII P. M.* confirmatur; qui in Hungaria maxime floruit.

Corvus ad eſuriem Cerealia dona ferebat,
Et ſatis ad potum proxima lympha fuit (4).
Palma dabat veſtes (5), tumulum fodere Leones (6)
Mors, et Vita pari Relligione ſtetit.
Poſt ubi regales migravit Eremus in Urbes,
Non Leo, non Corvus viſus adeſſe fuit.
Si licet, inferias faciam, condamque Sepulcrum;
Hoc autem in tumuli marmore Carmen erit:
Siſte Viator! in hac tumba iacet Ordo Virorum,
Cui titulum a PAULI nomine Roma dedit.
Natus in Hungaria, per ſecula quinque valebat,
Dives opum, et multa nobilitate potens.
Principio Silvas habitavit; Clauſtra deinde
Conſtituit, mortem denique in Urbe ſubiit.

Mun-

(4) Si fides eſt *Hieronymo*, unde nata videtur eſſe traditio: *Paulo* in eremo *Thebaidis* degenti Corvus panem dimidium per omnes annos quotidie adferebat; cum autem *Antonius* apud eum hoſpitabatur, integrum accipiebat, ac ſitim, ut alias ſemper, vicino fonte temperabat.

(5) Idem *Hieronymus* teſtatur, quod fas eſt credere, tegumen *Pauli* ex Palma fuiſſe; ex Palma enim cibum, potum, veſtitum, et alia multa confieri poſſe notum eſt. Vide e veteribus *Plinium* Libro XIII. cap. 4.

(6) Mirabile eſt, quod de Sepultura *Pauli* legitur. Dicamne? Mortuo *Paulo* ecce duo (ſic enim ſcribitur) Leones ex interioris Eremi parte currentes volantibus per colla iubis ferebantur! Quibus adſpectis primo exhorruit (*Antonius*); rurſumque ad Deum mentem referens, quaſi Columbas videret, manſit intrepidus.

Et

lus Eremitas, Monachos, Dominosque vocavit.
fula, Crux, Corvus, Barba, Cucullus adeſt (7).
, quae perpetuo frondeſcit Palma virore,
:ternum meritis datque, dabitque decus (8).

XV.

De Obtrectatore.

ɛ abiit MARIOSA (1), novus cantare Poeta
cipit; hic aliquis, qui prope prandet, ait.
Signa

illi quidem directo Curſu ad Cadaver beati ſenis
literunt, adulantibusque caudis circa eius pedes
ubuere, fremitu ingenti rugientes; prorſus ut intel-
ret eos plangere &c. At ego imperare mihi non
ſum; ut reliquam eius narrationem adtexam. Satis
dixiſſe: *Paulum* a Leonibus terrae datum eſſe.
c etiam adparet cauſſa, quapropter Ordo Ille Reli-
ſus ſuo in Scuto *Palmam* cum duobus *Leonibus* geſ-
t?

ta ſunt ſcilicet ornamenta, ſeu attributa Sepulcri;
ılam enim et Crucem geſtavit Generalis Ordinis
epoſitus, habuitque locum in Comitiis Hungariae
:r Proceres. Signa cetera ſunt etiam propria.

rope Mauſolaeum collocatur *Palma*, quae ut aeter-
ı vireat, precatur Poeta! Eſt autem *Palma* victoriae
ium, propterea, quod urgentibus, opprimentibusque
ı cedat; ait Plutarch.

acobus Marioſa Italus, multa eruditione celebris,
liothecae Archi Epiſcopalis Coloczae Praefectus, a
ptis etiam operibus clarus.

Si qua mihi vena eſt, nec eam MARIOSA ligavit;
Nec modo, liberior ſi fluat, ille facit.
Et mihi, ſi cupiam, venient in carmina vires;
Eſt aliquis, qui me concitat igne, Deus.
Si velit ille, cui placuere mea otia, PRAESUL,
Qui modo ſum placida mente, animoque, furam.
Sentitis? Deus! ecce Deus!— Iam Carmina fundam,
Carmina *Zoologo* nobiliora pede (2).

XVI.

De Scriptore nimium glorioſo.

De triplici Regno Naturae Carmina ſcripſit,
Carmina de Variis dimidiata libris.
Nec mens LINNAEI, nec opum Natura ſuarum
Conſcia, Naturae talia Regna videt.
Non eſt Naturae Regnum, ſed ſomnia Vatis.
Inſomnes aegri talia monſtra vident.
Helmſtadio veniens me laudat epiſtola, narras.
Usque adeo caecus, qui ſe amat, eſſe ſolet.
HENKE ſuos oculos tibi commodat (1). Accipe!—
Quid nunc?
Non hic Naturam, ſed tua Probra vides.

XVII.

(2) Tangitur Auctor, qui *Zoologicon* Carmine compoſitum eo tempore vulgaverat.

(1) *Henr. Phil. Conr. Henke* Annalium Literariorum cum *Paulo Iacobo Bruns* Auctor doctiſſimus *Helmſtadii*, qui Scripta Glorioſi huius Eruditi recenſuit.

XVII.

Mulieri

quae Hortum habebat Liliis multis confitum.

Quo tam multa tui producunt Lilia campi?
Non ſunt ad noſtras Lilia multa dies.
Lilia ſervatae ſunt Virginitatis imago,
Parcius ergo ſuas Flora miniſtret opes.

XVIII.

De Cupidine

Arcu et Sagittis armato.

Depoſuit veteres iam dudum Europa Sagittas,
Atque alia, ut feriat longius, arma gerit.
Solus in Europa retinet vetera arma Cupido,
Et iacit in noſtros ignea tela ſinus.
Pone tuos arcus Puer improbe! pone Sagittas!
Certior ad iactus eſt catapulta tuos.
Sed vafer in noſtra eſt, miſeros nos! damna Cupido.
Clam ferit, et tacite vulnera multa facit (1).
Si bombarda ageret, ſi Sclopetarius eſſet,
Terreret ſtrepitu teque, aliosque ſuo.

(1) Ante ferit quoniam, tuti quam cernimus hoſtem,
Nec quisquam ex illo vulnere ſanus abit. Ait Propert. Lib. II.

XIX.

ILL. ANTONIO VÖRÖS DE TARAD

ad se per Literas invitanti.

Natalem Graecae revehit Lux craſtina DIVAE(1);
Crimen erit talem non celebrare diem.
Sed, tamen, aio, tibi veniam, DIVAMQUE relinquam.
Tu prohibes. Quod vis, hoc volo: non veniam.

XX.

EIDEM

Budae apud Dynastam Tordaſienſem hoſpitanti.

VÖRÖS adeſt! tanto NAGI optimus Hoſpite gaudet.
Scis? quo Iura vigent Praeſide, VÖRÖS adeſt(1)!
Siſti-

(1) Graeca illa Diva eſt Excellentiſſima Comes ELISABETHA ZICHY nata e Comitibus *Berényi*, quae in ſua ſenectute Graecam Linguam didicit labore improbo, et cum Catone (ut eſt apud Ciceronem in Libro de Senectute n. 8.) dicere potuit: Graecas literas ſenex didici; quas quidem ſic avide arripui, quaſi diuturnam ſitim explere cupiens, ut ea ipſa mihi nota eſſent, quibus nunc me exemplis uti videtis. *Poeſis* mea *Narrativa ad Aeſtheticam Conformata*, eius nomini eſt inſcripta anno MDCCLXXXIV. Dedicatio lapidali ſtilo facta exhibet rarae Mulieris characteres.

(1) Erat ille tunc in Regia Scientiarum Univerſitate Studii Iurisprudentiae Director et Praeſes.

Siſtite currentes Horae! *Themis* imperat illa,
Quae vos in vitam protulit, alma *Themis* (2).
Illum ego (quis prohibet, quod ſentio corde, fateri?)
Illum ego non poſſum non deamare Virum.

XXI.

De Globis Aeroſtaticis in campo Budenſi fruſtra iactatis.

Fama volat, geminasque Urbes Schediasmate complet (1).
Artificis nomen diſſimulare placet.
Currite Budenſes! Peſtani currite Cives!
Res erit in viridi prodigioſa loco.
Nulla unquam regio Spectacula talia vidit,
Qualia vos noſtris conſpicietis agris.

(2) *Horas* eſſe *Themidis* filias Poetae tradunt. In Hymno, quem habemus ſub nomine Orphei, ſic habetur: ὦραι θυγατέρες θεμιδος και ζηνος ἀνακτος ἐυντμιητε, δικητε, και ἐιρηνη πολυολβε ἐιαριναι! &c.

(1) Scheda promiſſis ingentibus plena, typisque data volitabat, quae ingentem hominum Copiam in locum deſignatum excitabat. Ut incommodum omne vitaretur, Milites etiam armati ad vigilias advocati fuere. Factum eſt, quod multi futurum praeſenſerant, atque etiam dixerant. Sequutus erat riſus, et indignatio.

Convenere Urbes. Pro! quanta frequentia Campo eſt.
Cingitur armatis magna corona viris.
Argentum dedimus; da nunc Spectacula, quae ſunt
Promiſſa; aerios mitte per alta globos!
Sed fruſtra. — O fatuum, Caecumque Cupidine laudis!
Quis furor eſt tantam vendere Stultitiam?
Ne magna in plenam migret ignorantia lucem,
Aere etiam proprio praepedienda fuit.
Quos tibi iam dedimus decepti, reddito nummos,
Et ſerva aeternum nominis obprobrium!
Utque ſuum numquam te credidit eſſe Minerva,
Sic te nec videat, nec putet eſſe ſuum.

XXII.

De frequenti Autochiria.

(d)

Vita quid eſt? res plena metu, res plena dolore.
Adcumulat noſtrum noxque diesque malum.
Hoc eſt, quod multi properent abrumpere vitam;
Sit violenta licet, mors tamen iſta placet.
Sitne furor? vel crimen atrox? vel mentis abuſus?
Huc mihi det ſenſum *Philoſophia* ſuum!
Si tua vita tibi gravis eſt, totusque peribis,
Quid dubitas vitam tollere *Marce* tuam?
Sed

(d) Datum eſt hoc Carmen die 17. Iunii anno MDCCLXXXVI. ad illud novum caedis exemplum, quod miles ad moenia fecit.

Sed ſi perpetua eſt Animae duratio; quod te
Aut ſcelus, aut rabies, ut moriaris, agit?
Vidit apud Ditem moeſtos Cythereius Heros,
Qui ſibi vitales eripuere dies.
Nunc ad pauperiem vellent, vitamque redire,
Si reditum miſeris Fataque, Stixque darent (1).

XXIII.

CL. ADAMO VISER

Hermeneuticae novi Teſtamenti Scriptori.

(e)

Nuncius, interpresque Deum, quem Graecia dixit
Ἑρμην, Mercurius, τρις que μεγιϛος erat (1).

(1) Aeneas dum apud Inferos peregrinatur, videt etiam illos, qui ſibi mortem conſciverunt. De his narrat Virgilius Aen. VI.

Proxima deinde tenent moeſti loca, qui ſibi lethum
Inſontes peperere manu, lucemque peroſi
Proiecere animas. Quam vellent aethere in alto
Nunc et pauperiem, et duros perferre labores!
Fata obſtant, triſtique palus inamabilis unda
Alligat, et novies *Stix* interfuſa coercet.

(e) Hermeneutica Sacra Novi Teſtamenti in tres partes diviſa. — Budae et Poſonii an. 1784. in 8.

(1) Mercurius cum ſit Nuncius, Interpresque Deorum, a Graecis, ut aiebam, dicitur ἑρμης; et quia munia habet

Quod fuit in Graeco notiſſima fabula mundo,
Hoc in te prope iam creditur hiſtoria.
Tres operis Sacri partes mihi mittis Amice!
Tres operis partes accipio, et relego.
Quae ſint Verba Dei? pars prima fideliter adfert;
Altera, quis ſenſus debeat eſſe? docet.
Tertia Subſidiis, quae ſunt externa, tributa eſt;
Haec, magis ut pateant interiora, facit.
Partibus his, duce te, tota Hermeneutica conſtat,
Et quae ſit nova Lex, quidve loquatur? habet.
Sic aperis Sacri Myſteria Teſtamenti. —
Accipe, quae geſſit nomina Mercurius.

XXIV.

Homini ſcelerato intentatur Poena.

Improbus es. Spondesne tibi pallatia Coeli?
Si neſcis, capiti Poena parata tuo eſt.
Dic, ubi qui Coelos auſi impugnare Gigantes(1)?
Aut ubi Pirithoe gens inimica Duci (2)?

Ecce

habet multa et magna, τρισμεγιςος adpellatur. Non neſcio *Hermetem* alium nominari Trismegiſtum, quod ille apud Aegyptios fuerit maximus Philoſophus, Sacerdos, et Rex.

(1) — Pater omnipotens miſſo perfregit Olympum
Fulmine &c. Ovid. L. I. Met.

(2) Centauri in foribus ſtabulant &c. Aen. VI.

ce ! iterum Saxum ruiturum Siſyphus urget,
Et nullam inter aquas Tantalus haurit aquam.
dit adhuc Titii corda immortalia Vultur,
Volvitur Ixion, conſequiturque rotam (3).
idimus irato Sterni Salmonea Coelo,
Dum ſimulat flammas Iupiter alte tuas (4).
ndunt, et repetunt, quas fundunt, Belides undas,
Sed quamcunque petunt Belides, unda fugit (5).
iſcite Iuſtitiam moniti et non temnere Divos,
NuncPhlegyas magna nos quoque voce monet(6).
tentat fulmen manus omnipotentis Olympi;
Poena movet celeres ad ſcelus omne pedes(7).
um loquor iſta, ſuam forſan movet Aeacus urnam;
Abrumpet Vitae Stamina Parca tuae.
ei tibi! quam denſis exhorruit aethra tenebris!
Te ferit, et rapido fulminis igne necat.

) Viſcera praebebat *Titios* lanianda, noyemque
Iugeribus diſtentus erat; tibi *Tantale* nullae
Deprenduntur aquae, quaeque imminet, effugit arbos.
Aut petis, aut urges ruiturum *Siſyphe* ſaxum.
Volvitur *Ixion* &c. Ovid. Lib. IV. Met.

) Vidi et crudeles dantem *Salmonea* poenas,
Dum flammas Iovis &c. Aen. VI.

) Vid. Ovid. Lib. IV. Met.

) Aen. VI.

) Culpam *Poena* premit Comes; ait Hor. Lib. IV. Ode. 5. Et: Raro antecedentem Sceleſtum deſeruit pede *Poena* claudo. Lib. III. Ode. 2.

XXV.

Ad Julium

Pharmacis ſine modo utentem.

Pharmaca multa bibis, comedisque miſerrime Iuli!
Pharmaca ſunt vitae potus, et eſca tuae.
Quae tibi cum tali potuque, ciboque voluptas,
Si tua perpetuus corpora morbus habet?
Nempe ſuam Medici curam, et medicamina vendunt;
Tu morbum, et mortem diſcruciatus emis.
Per te illi vivunt ſani, et marſupia complent,
Tu per eos longa morte miſer moreris.
Unde illi vitam, tu mortes inde capeſſis.
Iſta mihi nimium mors pretioſa foret.
Si tanto pretio mors tam longaeva paratur,
Malo mori; mihi mors una, et inemta placet.

XXVI.

Quantus eſt Hominum Numerus?

Quot ſint in Terris Homines? numerare laborant
Hiſtorici; et numerum ſe reperiſſe putant.
Innumeros credo eſſe Homines: his omnia plena;
Sed quot in his, nomen qui mereantur, erunt (1)?

XXVII.

(1) Vulgatiſſimum eſt illud Diogenis; qui dum pleno die per plateas urbis itat ardente cum lucerna, interrogatus quid faciat? *Hominem* quaero, reſpondit.

XXVII.

Amico

diem Natalem recolenti.

Formoſae Charites, nataeque ad gaudia Nymphae
Calliſto, et roſeis Deiopoea genis!
Tu quoque in adpenſa ſpectabilis icone Leda,
Herſa, Aglaure, Io, Pandroſe, Maia, Dryas(1)!
Quamve ſibi vellet coniungere Mater Amorum,
Pulchrior Intacta Virginitate cohors!
Surgite! et ut veſtrae eſt artis, pulcherrimae adeſte!
Surgit ADALBERTO Solque, diesque meo.
Ille quidem non vult, ſed habet penetrabile pectus;
Sentit (non dicam cetera) quid ſit Amor?
Surgite! natali properate calentia vota;
Vota venuſtati conſociata valent.
Decebris certare iuvat, iuvat eſſe diſertas,
Feſtivumque choris exhilarare diem.
Laetus Hymen, Hymenaeus adeſt (ſperate Puellae)!
Qui reparet vidui iura marita tori (2).
Felix, quae tali veniet condigna Marito!
Digna eſt, quae prudens, pulchra, pudica, pia eſt.

XXVIII.

---

(1) Harum enim Gratiarum Imagines eleganti Scalpello in aere laboratas vidit Poeta e pariete pendentes.

(2) Hunc Muſa genitum legit Cytherea, ducemque praececit thalamis. Nullum iunxiſſe cubile hoc ſine, nec primas fas eſt adtollere taedas. Claudianus in Epithalamio.

XXVIII.

Hercules in Pictura feminea in veſte fila trahit prope pedes Omphales.

Quid facis imbellis? tune Infans ruperis angues?
Qui modo femineo ſub pede penſa trahis (1).
Fortior in cunis igitur *Tirynthius* Infans,
Quam qui Vir domuit plurima monſtra, fuit.

XXIX.

Allegoria de Claſſe Poetica.

Ancora ſublata eſt, properat vaga Claſſis in altum
Spumant aequorei cerula terga Iovis.
Fallor, an Argolico quae ſolvit litore Navis,
Ut revehat Phryxi vellera, talis erat (1)?
Aeole

(1) Tene ferunt geminos preſſiſſe tenaciter angues,
Cum tener in Cunis iam Iove dignus eras? &c.
Ovid in Epiſt. Her.

(1) Apud Orpheum, Apollonium, et Valerium Flaccum ſunt haec Argonautica. Nec Coelum vacat navigiis; quippe Argo navis inter ſidera micat. *Opinio eſt, Argo in ſidus coeleſte converſam eſſe*; quod Flaccus praedixit: ituram in Sidera puppim; quam et loquacem et fatidi-

cam

Aeole propitiam debes his Navibus Auram (2);
Sunt etenim plenae Relligione rates (3).
Hic modo PHOEBUS adeſt, hic ſunt cum Praeſide Muſae,
Hic vela, et remos Numina docta regunt (4).
Huc ea de ſacro deduxit monte Poeta;
Hic placet, et tantum verſibus ille poteſt.
O utinam ex illa, quae fert haec Numina, Claſſe
Intraret portus una, Carina meos!
Quid vetat URANIEN ad me, PHOEBUMque venire?
URANIE, et PHOEBO litora noſtra patent.

XXX.

Geſtuum Natura eſt mutata.

Olim Geſtus erat Vox Cordis. Quod fuit olim,
Non eſt, Naturam Fraus hodierna dedit
In

cam Poetae vocant. Hyginus eam putavit lucere ſtellis tribus et viginti; alii viginti quatuor dixerunt. Sed de *Navi* Coeleſti *Aratus*, et Aſtronomi.

2) Nimborum in patriam loca foeta furentibus Auſtris
Aeoliam venit. Hic vaſto Rex *Aeolus* antro
Luctantes Ventos, tempeſtatesque ſonoras
Imperio premit, ac vinclis et carcere frenat. Aen. I.

3) Hac ex cauſa debet Aeolus favere huic Claſſi; nam etiam Homerus in Odyſſea dicit: Αἴολος Ἱπποτάδης φίλος ἀθανάτοισι θεοῖσι.

4 Deos aliquando navibus vectos, aut navigationi praefectos fuiſſe, teſtis eſt Antiquitas Poetica. Ingentes de Puppe Deos commemorat *Perſius*.

In vitium (1). Si corda Hominum vis noſſe, Deorum
Sume oculos. Oculis ſi potes eſſe Deus;
Sincerum a falſo dignoſcere corde licebit;
Si tamen eſt aliquis, qui vafer eſſe nequit.

XXXI.

VIRGINI DEIPARAE.

Audiat hoc Tellus, et qua patet, audiat Aether!
Ille, cui vivo, ſit mihi teſtis Amor!
Teſtis Amor mihi ſit, non quo Cythereia gaudet,
Sed quo molle calet Cor, *Marianus* Amor.
Hoc ego teſte tuas Virgo proſtratus ad aras,
Perpetuam ſancto federe iuro fidem!
Tu mihi Sola places, amo te, tua nomina ſpargam,
Vulgaboque tuum, quo licet, orbe decus.
Hanc mihi ſinceri legem dedit ardor Amoris;
Mors ſola hanc legem, quae mihi tollat, erit.
Tu modo propoſito ſuccurre Patrona labori,
Tu mihi iam vires ſuffice, tu fer opem!
Ah utinam dignos inter patiare Clientes,
Simque tui ſemper pars aliquanta Chori!
Omnia, quae mea ſunt, ultro tibi conſecro DIVA!
Omnia ut acceptes, ſupplico! Iam tua ſunt.

XXXII.

(1) *Fraus* ſcilicet illa, cuius effigiem dedit Dantes Alligierius, et Boccatius: Facies eſt Hominis, corpus reliquum ſerpentium, variis maculis et coloribus diſtinctum; cauda terminatur in aculeum Scorpionis. Natat in undis Coeyti, et facie tantum ſolet adparere.

XXXII.

Quum Zodiacum Palingenii remiſeram.

Mitto παλιγγενιον; tu, quum te orabo, remittes.
Graecus is eſt; ad me Graeca redire ſolent.

XXXIII.

ANDREAE

Onomaſticon agenti.

ANDREA! in Scriptis hodie mea defero Vota!
Verba volant, noſti; *Litera ſcripta manet.*
Multane vis, vel pauca? — Hic eſt, ut cernis, Utrumque.
Pauca quidem verbis, *Multa* bonis animis.

XXXIV.

Poeta ferias terminat.

Hactenus Albani captavimus Otia Ruris;
Urbanis etiam Ruſtica Vita placet.
Jam ſatis eſt; divina vocant nos Caſtra Minervae;
Arma mihi, et campum Diva Minerva dabit (1).
Vo-

(1) Propugnaturus erat Univerſam Theologiam.

Vocalem increpuit Citharam grandaevus Apollo (2).
Ad iuga Parnaſſi Turba Novenna redit,
Silvula primus amor Nympharum, et ſola voluptas,
Quae nata es curas adtenuare, vale!
Iam mihi pugna inſtat. Tu quae promiſimus ante (3),
Dona cape, et memori in cortice Vota lege:
Creſce precor virides incaedua Silva per annos,
Et caput aethereis infere tuta plagis!
Nec te triſtis hiems violet, nec ſaeva ſecuris;
Semper ut intonſa conſpiciare coma.
Sic te Pallas amet, ſic Urbs Parnaſſia; ſaepe
Arboreos Hoſpes viſat Apollo lares.
Et veluti Dodona loquax oracula reddas;
Det foliis vocem Praeſes Apollo tuis (4).

XXXV.

(2) Allegorice dictum eſt; Apollo enim Poeticus eſt formoſus, pulcher, intonſus, imberbis; licet habeat filium barbatum Aeſculapium; cui quidem barbam auream in Epidauro demi iuſſit Dionyſius Siciliae Tyrannus, dicens, non convenire barbatum eſſe filium, cum in omnibus fanis pater imberbis eſſet. Cic. Lib. III. de Nat. Deor. n. 34.

(3) Superius n. II.

(4) *Dodona* urbs Epiri veteris, cui Nemus erat adſitum Iovi cum templo ſacrum, Homeri carminibus, et Oraculis in Graecia vetuſtiſſimis celebratum; unde Iupiter Dodonaeus, miniſtrae autem Dodonides, quas Hyginus poſt Pherecydem dicit fuiſſe ſeptem Hyades, modo inter aſtra locatas. Iupiterne ipſe, aut Miniſtrae Sacerdotes? vel Columbae, aut Quercus, vel Folia? dederint oraculum, non convenit Fabulae. Hiſtoriam vide apud Herodotum Lib. II.

XXXV.

De Caſtore et Polluce.

(f)

Si mortem alternat Pollux cum Caſtore, dicant:
Adpellemne Homines, vel reor eſſe Deos?
Iemo Hominum, Superumque miſer magis eſſe videtur;
Saepe etenim debent vivere, ſaepe mori (1).

XXXVI.

---

f) *Dioſcuri*, ſeu Iovis pueri, de quibus *Theocritus* habet Idillion. Alia eorum nomina huc non ſunt neceſſaria. In Coelo dicuntur *Gemini*, de quibus Virgilius Aen. VI Si fratrem Pollux alterna morte redemit, itque, reditque viam toties &c. Si Navigantibus flammulae igneae malis navium imminentes appareant, quas Veteres *Caſtorem* et *Pollucem* appellarunt, hodie autem Italis, ignis Sante Anſelmo dicitur, hae felicem navigationem praeſagire putantur; ideo Statius rogat: *Proferte benigna ſidera, et antennae gemino confidite cornu Oebalii fratres* &c.! Tradunt enim Pollucem ſuam immortalitatem ſic diviſiſſe cum fratre, ut alter altero die viveret: quod ideo fingitur; ſtellae illae Geminae ſic ſe habent, ut quae prior occidat, eadem ante alteram oriatur et viciſſim. Ideo Homerus dicit illos ἀτερμιζους; eſt ergo fabula haec ex *Aſtronomia* petita.

1) Non Deorum tantum, ſed omnium Mortalium miſerrimi, quibus ſemel mori non licet; ait Lactant. Lib. I. de Falſa Relig.

XXXVI.

MARCELLO

qualis eſt Sapientia Hominum?

Qui ſapiunt, hos eſſe putas Marcelle beatos;
Hi ſunt, qui rectam dantque, tenentque viam.
Haec mihi cum memoras, Labyrinthos forte recordor,
Quos tenet in veteri Plinius Hiſtoria (1).
Scisne quis in Creta fuerit Labyrinthus? et illa
Ingenio et fama prodigioſa domus (2)?
Pulchra, ſed ambages multas, multasque latebras,
Erroresque vagos nexuit illa domus.
Ut Labyrinthus, ita eſt Mundi Sapientia! Suntne
Felices, iſto munere qui ſapiunt?

XXXVII.

(1) Dicamus et *Labyrinthos*, vel portentoſiſſimum humani impendii opus; incipit ille Lib. XXXVI. Cap. 19. — Quatuor autem fuere Labyrinthi, nimirum *Aegyptius*, *Creticus*, *Lemnius*, et *Italicus*; quos ille deſcribit.

(2) *Labyrinthus* in Creta inſula factus a *Daedalo* Lib. III. Metam. Poetis eſt maxime notus, in quo deinde idem artifex *Daedalus* cum filio *Icaro* fuerat clauſus.
— Creta fertur Labyrinthus in alta
Parietibus textum caecis iter, ancipitemque
Mille viis habuiſſe dolum, qua ſigna ſequendi
Falleret indeprehenſus, et irremeabilis error &c.
Aen. V.

XXXVII.

Mathematico cuidam Coaevo.

alleſcis, ſudas, noctemque, diemque fatigas,
Plena Mathematicis eſt tibi menſa notis.
it nova contorques, aut priſca problemata ſolvis,
Metirisque nigri ſquallida regna Iovis.
: fere Ariſtomachum video. Duodena laborat
Luſtra; labor, Superi! multus, et arduus eſt!
aecipites Pulicum ſaltus metitur, amatque
In Pulicum ſaltu vivere, poſſe mori (1).

Ariſtomachus quidam ſexaginta prope annos conſumſſe dicitur in natura Pulicum inveſtiganda. Haec fa- tà fortè inde orta eſt, quod Plinius memoret Lib. I. Ariſtomachum quemdam Solenſem amore Apum a fuiſſe correptum ut duodeſexaginta annis nihil liud egerit. Ad oſtendendam enim laboris inanita- m, pronum erat Apes cum pulicibus commutare. Ce- rum vetus eſt verbum, quod etiam Lucianus habet: ulicum veſtigia metiri. Pulicis nomen corripuit Poeta iductus exemplo carminis: Parve Pulex, inimica lues, iimica puellis &c. quod aliqui perperam tribuere vidio. Melius forte Columella de Cultura Hortorum ionuit: Parvulus aut Pulex irrepens dente laceſſat &c.

XXXVIII.

Heredi Opulento

ſed improbo.

Mors Patris ingentes tibi contulit aeris acervos.
Invideo; vitium non habet Invidia.
Divitiae ſuperant, Probitas cum Patre ſepulta eſt.
Haec eſt Invidiae cauſa, ſcopusque meae.
Quam nos Invidiam vitium, Crimenque vocamus,
Si neſcis, vera ex proſperitate venit.
Quae tibi proſperitas patriis turgeſcere gazis,
Si Probitas Patris contumulata iacet?
Ni Patris e tumulo Probitas revocetur, et in te
Tranſeat, infelix, ac homo nullus eris (1).

XXIX.

(1) Non inepte Callimachus, quia Virtutem et opes petit a Deo; putat enim nec opes ſine Virtute, nec iſtam ſine illis poſſe beare homines.

χαιρε πατερ, χαιρ' ἀνδρι διδου δ' ἀρετην τ' ὀφενος τε &c.!

In Hymno ad Iovem.

XXXIX.

Alaudae Metamorphoſis.

Adſpicis inſignem galea, criſtisque comatam,
Et volucrem, laeto quae circinat aera gyro,
Dumque volat, tenerum diffundit Carmen, *Alaudam* (1)?
Illam, qua fulvas volvit Maruſius (2) undas,
Fama eſt, humana natam de gente, tuasque
Phoebe pater coluiſſe artes Piſonis in Urbe (3);
Quo niſi Gymnaſii violaſſet praeſide legem
Imprudens, iuſtam non ferret Apollinis iram.

1) *Galerita* dicitur teſte Plinio Lib. XI. Cap. 1. quod apicem habeat in capite ad ſimilitudinem galeri, unde *Galericam* dixit Varro. Poſtea Gallico vocabulo dicta eſt *Alauda*, quod etiam Legioni tributum fuit. Graecis dicitur κορυδαλος, et κορυδος a κορυς galea, vel Caſſis; ideo etiam *Caſſita* nominatur.

2) *Maruſius*, ſeu *Mariſcus*, cuius iam Herodotus meminit ex Alpibus Tranſilvaniae natus venit in Hungariam, et Provinciam Aradinenſem a Banatu ſeparat, ad Szegedinum urbem in Tibiſum influit: *Flavus* dicitur, quia eſt Aurifer.

3) Poſonium a Piſone quodam conditam aliqui autumabant.

Terrigenum Rex ille, *Baal* quem nomine noto
Dicimus, et multo poſt ſecula multa, parique
Ritu Chriſtiadae colimus, dum feſta Deorum
Laetitiae inſolita cupit exhilarare, choreas,
Et ludos ſummo celebraverat ornamento.
Convenere Dii; nam poſtquam Rector Olympi
Iupiter, et magni coniuxque, ſororque Tonantis
Annuit, et verbo de ſe, dextraque ſpopondit,
Crimen erat Baccho non adveniſſe, ſuamque
Cum levibus Satyris non adduxiſſe cohortem.
Prima fuit formoſa Cypris, cum Cypride venit
Feſtivus Charitum coetus, volucerque Cupido,
Quotve pharetratos vetus aetas fecit Amores.
Deinde quod in coelo, et terra eſt genus omne Deorum,
Magni et parvi aderant. Ganymedem, et cetera, quae ſunt,
Nomina Semideum poſſunt recitare Poetae.
Momus an adfuerit, Somni, Noctisque propago,
Qui ſolet innata cum libertate notare,
Quidquid agunt hominesque, diique? hic quaerere noli.
Mortales etiam, quos Stemma et Sanguis avitus
A vulgo ſecrevit, habent ad gaudia Divum
Acceſſus haud difficiles; niſi quis Deus obſtet.

Fama volat, totam narrat vaga Fama per urbem
Multimodas reſonare fides, ducique choreas
Ad numeros, artesque novas, et gaudia magnis
Plauſibus intendi. Narranti conſonat aethra
Ad varios commota modos, famamque vagantem
Multa repercuſſis comitatur vocibus Echo.

Fama

Fama volat, famam non ultimus audit *Alauda* (4)
Laetitiaeque cupit pars esse haud ultima, ni Lex
Prisca Iuventutem a ludis, choreisque vetaret;
Legem etenim, poenamque vetus dictavit Apollo.
Quid faciat? cupit, et metuit; sententia mentem,
Dum cupit et metuit, nunc huc, nunc dividit illuc.
Tandem: Si Lex est, maneat reverentia Legi;
Ire palam prohibet, sed non vetat ire sub umbra.

Dixit, et os larua texit, quam callida Momo
Fraus dedit, et vario tinxit malesana colore.
Cristatum caput est, mento iacet integra barba,
Arte laborata est, et paucis cognita vestis.
Sic igitur multos, sed non tua Phoebe fefellit
Lumina; mendacem vultum cognoscit, et: Heus tu!
Tantus honor nostris est ergo legibus? ille,
Ut saepe, erubuit vultu, sed larva ruborem
Occuluit, quantumve potest, sese esse negavit.
Delius hic (nam iusta fuit) non continet iram;
Promeritas, *Baal* testis erit, dabis improbe poenas!
Finiit; et larvam fallaci detrahit ore.
Fugit *Alauda*, timor fugientem obnoxius urget;
Dumque fugit, cursum subito velocius ire
Miratus pennas in corpore surgere vidit.
Mens erat actutum pennas evellere; sed iam

(4) *Alauda* Bonarum Artium Studiosus hic suo in genere nominatur; postquam metamorphosim est passus, mutavit genus, in latino tantum nomine factus Avis Alauda; nam apud Graecos manet ὁ κορυδαλος.

Non reperit, quas ante manus poſſederat; alae
Sunt geminae, geſtitque loqui, culpamve fateri,
Si culpam fineret roſtrum, et nova lingua fateri.
Antiquum Iuveni nihil eſt, niſi nomen *Alauda*.

SILVAE
ARNASSI PANNONII.
LIBER III.

I.
Narratio
De Pharetra Amoris.

era loquor: Lucо in medio, qui proximus
Urbi eſt,
Naturam in vegeto Robore quaeſieram (1).
gus aquae Fons eſt viridi ſub margine Luci,
Ex quo ſaepe Dii, ſaepe bibere Deae.
e Amor! ex media (non me videt) exit
ab Urbe;
Laſſus erat, laſſum fecit in Urbe labor.

Intentus ſtudio Naturae, quod hac aetate plurimos habet cultores.

Ille ubi collectos hoc fonte extinxerat aestus,
Depositi molli languida membra toro.
Dormit Amor, dixi; pharetram, nervumque reiecit.
Nunc Atlantiade, nunc mihi dexter ades (2)!
Accedo; pharetram vacuam, nervumque remissum
Hic video, quantum fecit in Urbe malum!
Tollere non volui pharetram, nervumque reliqui.
Ista vacant culpa, sola sagitta nocet.

II.

AD CATHARINAM II.

Magnam Russiae Magnae Imperatricem.

Concedesne TUUM Nomen CATHARINA Camoenae
Pannoniae? Nomen da CATHARINA TUUM!
Non tangam TUA facta, Dii! TUA grandia facta
Namque ea diviua sunt celebranda Tuba (1)
Nec TIBI Maeonides satis est, nec Musa Maronis
Aequabit numeris plurima facta suis.
Russia, quam dicunt *Albam*, nisi fallor, in illis,
Quae sunt summa, TUIS est numeranda bonis.

Si

(2) Expertes furandi homines hac imbuit Arte Mercurius Maia (Atlantis filia) genitus; ait Prudentius.

(1) Res gestae Regumque Ducumque et tristia Bella
Quo scribi possent numero, monstravit Homerus.
Ait Horat.

quis in interitu poſitam putat eſſe parentem
Naturam (2) PRINCEPS MAXIMA! TE videat,
E mare, TE tellus, coelumque ſecundat, et inquit;
Femina, quae ſimilis ſit TIBI, nulla fuit 3)
uaero Semiramides. Non una Semiramis eſſe
Fertur (4) at exemplum non habet ulla TUUM.
lactenus, ut tantam, quanta ES, Natura crearet,
Incaſſum vires ſenſit abire ſuas.

Quando

2) Epicuraei ſtoici, ut initium ac finem Mundi, ita etiam ſenium ſtatuebant; inde iam Lucretius Lib. II. ſcribebat:

Iamque adeo fracta eſt Aetas, effetaque Tellus
Vix animalia parca creat

Non ita Plinius Iunior. Sum ex iis inquit ep. 21. Lib. VI. qui mirer antiquos; non tamen, ut quidam temporum ingenia deſpicio, neque enim, quaſi laſſa et effoeta Natura, ut nihil iam laudabile pariat.

3) Habemus iam plurimos libros, qui pleni ſunt Mulieribus per omnem aetatem celeberrimis, ut erant apud Iſraelitas *Debbora*, *Iudith* et *Iahel*, apud Amazones *Penthefilea* et *Thalaſtris*, Maſſagetas *Tomyris*, apud Romanos *Veturia*, apud Salmirenos *Zenobia*, apud Anglos *Eliſabetha* &c.

4) Sub nomine *Semiramidum* intelligo Mulieres Celeberrimas, quibus illa praeivit *Semiramis* Aſſyriorum Regina, *Nini* Regis uxor, quae mortuo viro res praeclaras geſſit, et Viri nomen meruit, hanc Cyrus et Alexander admirati fuere, quod in iſta et magnitudo animi et rerum claritas plurima emicuiſſet. Ad noſtram usque aetatem valuit, quod ſcriptores de illa tradidere: fuiſſe Mulierem omnium clariſſimam.

Quando iterum TALEM producent ſecula? iam nunc
In TE prototypon ſecla futura vident.

III.

EPITHALAMIUM

Spect. ac Magn. D. Conſiliario Regio

STEPHANO ACZÉL.

Aut lapis, aut ferrum eſt, qui non amat (1).
Hoc fuit olim,
Dum nec tanta Venus (2), nec fuit aequus Amor.
Iam modo, quae Divas ornaverat ante Venuſtas,
Virginibus patriis propria facta nota eſt.
Illa venuſtatis ſpecies, non altera, curae eſt,
Quam melior Virtus, et bona Forma facit.
Hinc lapis et rigidum coepit molleſcere ferrum;
Hinc adeo nunc eſt imperioſus Amor.
Et lapis et ferrum vere iam ſentit Amores;
Duritiem poſuit Petra, Chalybsque ſuam.

Il-

(1) Ex hoc antiquo Verbo fit tranſitus ad *Aczél* Hungarum; quod nomen Graecis et Latinis dicitur Chalybs.

(2) *Venus* hic accipitur pro pulchritudine, venuſtate, elegantia, et gratia more prorſus latino, uti eſt apud Plautum in Sticho: Profecto amoenitates omnium venerum, et venuſtatum adfero; —— et non ſemel apud Quintilianum.

le CHALYBS etiam, quem multa *Ignatius* arte,
Et rigidum fecit *Philoſophia*, liquet.
)uis magis auſtero CHALYBUM de Sanguine durus (3)?
Vel quae tam ſolido Petra rigore fuit?
lle CHALYBS, adamante minus penetrabilis, ille
Nunc amat, et tenerum ſe cupit eſſe patrem.
BARBARA ſola fuit, durum quae flexit Amicum;
Quae placuit CHALYBI, BARBARA ſola fuit.
BARBARA! cui potuit non complacuiſſe Virorum,
Si placuit tali BARBARA Sponſa Viro (4)?
te Dionaei laeto certamine fratres,
Hunc magis, ac ullum, concelebrate diem (5)!
Vos

3) *Chalybes* populi in Ponto ferro praeſtanti celebres, quod Chalybs dictum eſt. Videri poteſt Strabo, et Plinius. Iuſtino Chalibs eſt Hiſpaniae fluvius, in quo Chalybes accolae ferrum optime temperabant. Sub nomine Chalybum poſſunt hic intelligi *Ignatiani*.

(4) *Barbara de Gaal* genere, forma, et omni virtute decora.

(5) Amores. Erat enim *Dione* mater *Veneris*, ex qua nati ſunt ἔρως, et ἀντερος Amor ſcilicet rectus, et reciprocus; qui Coniugibus ſunt neceſſarii. *Porphyrius* Philoſophus narrat rem lepidam, ſed doctrina plenam. Cum, inquit, Cupido infans parum caleſceret, Venus Themin deam conſuluit; quae Veneri reſponſum dedit: Cupidini *Anterota* neceſſarium eſſe, qui rependat vices, ut mutuam viciſſim dent operam. Cui Venus aquieſcens *Anterota* (quaſi Anticupidinem dicas) genuit; quo vixdum nato, Cupido adoleſcere coepit, et alas pen-

Vos genialis Hymen, vos pronuba Iuno miniſtros
Advocat; et teſtes federis eſſe iubet.
Ecce! manu Sponſam ducit Cythereia Mater,
Diſſimulata Deam, Sacra, torumque parat.
Hermopolitanus dicit ſua Carmina Vates,
Carmina felices vaticinata dies.
Hic facit, ut rigidis Diſcordia vincta Catenis
Se premat, in Stigio detineatque ſpecu (6).

IV.

Lis humana

Deorum Iudicio diremta.

Lis erat in terris. Litem finire Tribunal
Humanum (Lis eſt tam dubitata) negat.
Quis BEZERADIO ſuccedere debeat? actum eſt (1)
Par huic Septemvir conſtituendus erat.
Cauſ-

pennasque explicare. Quin quoties *Anteros* adeſſet, Cupido formoſior et procerior; abſente illo contra accidere videbatur.

(6) *Diſcordia* demens Vipereum crinem vittis innexa cruentis; Aen. VI. quam Graeci dicunt ἔριν, ſeu ἐριδα, in morem Furiae formatam.

(1) Ill. D. *Michaeli Bezeredy de Eadem* ad Supremum Iuſtitiae Tribunal (Tabula Septem Viralis dicitur) Conſiliario Aulico; qui dimiſſionem a munere exoravit.

auſſa Diis delata fuit. Decernere cauſſam,
Quamvis ſint ſummi, non potuere Dii.
ola *Themis*, qua nemo ſuos mage novit Alumnos,
Cui potius votum dicat? in ancipiti eſt.
i vos ancipites Meritorum copia reddit,
Phoebus ait, Paridem Sola Poeſis agat.
EMSEIDI ſunt Iure pares, ſed nemo Poeſi;
SEMSEIDES animo et mente Poeta valet (2).
ro! nimium ingratos, ſi qui dubitare poteſtis,
Eſſe Poetarum munera, quae gerimus.
t genus hoc magnum eſt, et res eſt magna Poeſis;
Illa, quod exiſtant Diique, Deaeque, facit (3).
pplauſere Dii, totoque urgente Senatu,
SEMSEIDI lances dat *Themis* alma ſuas.

V.

Natura noſtra Vitio noſtro eſt obſcurata.

Naturae nomen toto iactatur in orbe,
Naturam, et Mentem Vir, mulierque crepat.
ed quis Naturam? quid ſit? qua lege feratur?
Et quae huc faciunt, expoſuiſſe poteſt?
Nil

1) *Andreas Semſey de Eadem* Conſiliarius Regius ad Tabulam Iudiciariam Appellationis, Poeſeos amantiſſimus.

2) Dii quoque carminibus, ſi fas eſt dicere, fiunt,
Tantaque maieſtas ore canentis eget.
Ait Ovid. Lib. IV. de Ponto, et alii.

Nil magis obſcurum eſt, licet illa ſit intima nobis,
Naturam in tenebras Vita hodierna dedit (1).
Olim quid fuerit Natura? quis illius uſus?
Nunc ſi nos doceat *Philoſophia*, ſat eſt.

VI.

De Muliere

Quae deſperato Militis coniugio ſe dejecit in Danubium Budae Anno MDCCLXXXVI.

Virgo fuit, mater facta eſt innupta; venuſtas,
Et Venus in bella Virgine multa fuit.
Sed iam foetiferi turgeſcunt pondera ventris,
Et rea furtivum membra fatigat onus.
Credibile eſt, herbas, et quas non novimus artes,
Audaces utero ſuppoſuiſſe manus.
Reſtitit admotis, heu! vivax artibus infans;
Et vitam, et matrem prodidit ille ſuam.
Anxia mater erat, teque O Hymenaee vocabat;
Quo magis illa vocat vos (1), Hymenaee fugis.

Odit

(1) Quamdiu Natura ſibi conſtat, verum eſt illud Iuvenalis in Satyra XIV. Numquam aliud Natura, aliud Sapientia dicit; ſed ἡ δη πονηρα την φυσιν διαφθειρει Mali Mores pervertunt Naturam, ait Menander.

(1) Non enim ſolus *Hymen*, aut Hymenaeus eſt Deus nuptialis. Iuno, Venus, Amores, et neſcio quis Thalaſ-

dit enim thalamos, quos foeda Libido ſubivit;
Caſta amat, et caſtus corpora iungit Hymen (2)
uid faciat nova mater in hoc angore? Salutem
Deſperare, Salus eſt modo ſola ſuper.
uae potuit perferre Virum, perferre pudorem
Non potuit; tumidis ſe rea mergit aquis.
ndignatus erat, nantemque prehenderat Iſter,
Et dedit in Cymbam Nauta toroſe tuam.
mproba, dicebat, nec te noſtra abluet unda,
Nec ſcelere hoc noſtras commaculabis aquas.
Vive! tuam vitam pudor, atque infamia ſignet.
Haec tibi pro turpi crimine vita datur.

VII.

laſſus (Thalaſſius, aut Thalaſſio) habeat hic ſua iura. Sane Romani ſuo ex ritu quinque deos invocabant in Connubiis: Iovem, Iunonem, Venerem, Dianam, Hymenaeum; ut Plutarchus docet. Hos Deos videtur Lucanus intelligere Lib. II. Phars. Dum Martia loquitur Catoni poſt obitum Hortenſii ad ipſum (priorem Virum) rediens:

Foedera ſola tamen, vanaque carentia pompa
Iura placent, Sacrisque Deos admittere teſtes.

2) Dulce micant oculi, minans infecerat illi
Solque, Pudorque genas; dubiam lanuginis umbram
Caeſaries intonſa tegit &c. Claudianus in Epith.

VII.

Ad Cupidinem.

Verte alio pharetrate Puer tua tela, facesque!
Sunt, tua qui cupiunt tela, facesque Puer!
Fruſtra meis oculis et Phyllin, et Atthida fiſtis,
Non mihi, quae multis, eſt ſpecioſa Venus.
Haec rubicunda genis, illa eſt ornata capillis,
In nivea Charites Iulia fronte gerit.
Ubera ſi nequeat, denudat eburnea Colla
Leda, puellares docta movere pedes.
Ex oculis aliae flammas, et ſpicula ſpargunt;
Has inteſtino vulnere torquet Amor.
Haec non diſſimulat, quod ſuadet anhela libido,
Et Venerem molli voce, vel arte vocat.
Dicere me prohibet, quod tu facis improbe, Crimen.
Heu Pudor! in quali conditione ſumus (1)?
Mille placendi artes, artes ſunt mille nocendi;
Sunt tibi pro noſtro funere mille viae.
Verte alio pharetrate Puer tua tela, facesque!
Cor mihi marmoreum caſta Minerva dedit.
Ille unus mihi ridet Amor, quem format Honeſtas,
Et placet in caſto tutus amore Pudor.

Ver-

(1) *Pudorem* e Terris in Coelum avolaſſe canit Heſiodus aeneo ſeculo. Illum *Alciatus* in quodam Emblemate ſic deſcribit:

Ergo ſedens velat vultus, obnubit ocellos;
Iſta verecundi ſigna Pudoris erant.

Queis

cui non Virtus animi, morumque venuſtas,
Sed forma in pretio eſt, inſipienter amat.
t formoſa licet, non eſt formoſa Corinna,
Quae praeter formam nil, quod ametur, habet.

VIII.

Roſa

cuius rei Symbolum et Nota.

Jt Venerem, Charitesque Roſis gaudere Poetae
Me docuere, mihi tunc Roſa viſa rea eſt.
uid Venus, et Charites noſtris cum floribus? inquam.
Corporis intacti ſunt documenta Roſae.
ut vos innuptae damnate Roſaria Matres!
Aut Roſa laſcivi teſtis Amoris erit.

Queis ſibi praelatum Icarius cognovit Ulyſſem,
Hocque Pudori aram Schemate conſtituit.

Quod deſumtum eſt ex Lib. III. *Pauſaniae*, qui Laconica inſcribitur.

IX.

Ill. D. Comiti

PETRO DE RÉWA

Dum Excelsi Gubernii M. Principatus Transilvaniae Praeses Vicarius constitutus est.

Dacia tolle caput! Gemmis, auroque nitere,
Gaudiaque in toto corpore ferre decet (1).
Septeni exultent Montes, fundantque Metalla (2);
Samusius tumidas purior undet aquas (3).
Quem non sperasti, datur alter BANFIUS (4). Ille
Iam venit; euge animo! Spesque, Salusque venit.
Pe-

(1) Est enim Transilvania veteris Daciae pars praestantissima; quam Seculo secundo Traianus, et Hadrianus converterunt in Romanam Provinciam.

(2) Septem praecipue *Castris* super *Montes* exstructis olim excellebat; unde hodiernum etiam nomen Siebenbürgen apud Germanos: quod etiam Slavi lingua sua dicunt. Montes abundant metallo, aliisque fossilibus, uti auro, argento, cupro, ferro, mercurio, cinnabari, antimonio &c.

(3) Cum Marusio praecipuus Transilvaniae fluvius.

(4) Est enim *Georgius* e Comitibus *Banfy de Losonc* Gubernator Transilvaniae; cui Vicarius datur ex Hungaria Comes *de Réwa*.

ETRUM de REWA dum iam tibi nomino, ſummas
Ad tua Virtutes iura venire puta.
lum, ſi Patriae licuiſſet habere, teneret.
Quod licet, amiſſum Patria tota dolet.
laruſ Avis, et mente ſagax, animoque beato,
Quem dat amor MAGNI PRINCIPIS, ille Vir eſt.
rgo theſaurum, quo non pretioſior alter,
Accipe, et ut vobis ſit diuturnus, age!

X.

Muſarum Patrono Ruſticanti.

(a)

Rure tibi vivas; aliis dum vivis in Urbe.
Hoc facis, hoc ſummi vita, ſalusque Viri eſt.

XI.

De Sepulcro Pyrrhae
à Forma in Hungaria celebratae.

(b)

Tolle ſepulcralem lapidem! nam *Pyrrha* ſub iſto
Marmore, Pannoniae Gratia, *Pyrrha* iacet.
Heu!

a) Dictum in Caſtro Váhl.

b) Verum Nomen exponere nolui. Mortua eſt in multo Procorum deſiderio.

Eheu! quid video? ſanies, nuda oſſa, putredo,
Peſtis adulta, vagus foetor, et horror ineſt.
Claude ſepulcralem lapidem! non *Pyrrha* ſub iſto
Marmore, Pannoniae Gratia, *Pyrrha* iacet.

XII.

Soteria ad Phoebum.

(c)

Phoebe! videsne tuum rediviva in Febre Poetam?
Noſtra ſub imperio vita, ſalusque tuo eſt (1).
Si tibi forte meam fixum eſt non perdere vitam,
Vita fac in curſu ſit mihi ſana ſuo!
Scis, ego nec Vitam valde opto, nec horreo Mortem!
Namque mihi in pretio vitaque, Morsque pari eſt,
Sed ſi vita placet, vitam da vivere, qualem
Vel Puer Oebalius, vel Cypariſſus amet (2).

Tu

(c) Soteriam iſtam non eſſe ad exemplum earum factam, quae ſunt apud Tibullum Lib. I. El. 3. et Lib. III. El. 5 apud Propertium Lib. II. El. 8. et 28. apud Ovidium Lib. I. Triſt. El. 2. et III. El. 3. apud Lotichium Lib. I. El. 6. &c. patebit, ſi quis omnia contulerit.

(1) *Phoebus Apollo* eſt utique Deus *Medicus*.

(2) *Puer Oebalius* eſt Hiacynthus; de illo, *Cypariſſo* vide Lib. X. Met.

Tu potes a cupido vitam ſervare ſepulcro;
Quod potes, hoc abs te moeſta Iuventa petit (3),
Votivumque parat Carmen, quod dicat ad Aras;
Dicet Io! ſaevam vicit Apollo Febrem (4).
Hermopolitanus tua fortia facta Latino
Pectine (ſunt etenim fortia facta) canet (5).

(3) Nectar et ambroſiam, latices epulasque Deorum
Det mihi formoſa gnava *Iuventa* manu.

Inquit Ovidius Lib. I. Triſt. Iuventae, ſeu Iuventutis nomine intellige Archi - Gymnaſium Budenſe, cui Poeta Hermopolitanus praeerat.

(4) *Febri*, ut multis aliis rebus, iure Aeſtheticorum damus perſonam (πυρετου). Huic Febri aras erexere Romani, ut conſtat ex Cicerone, Livio, Valerio Maximo, Plinio, Auguſtino &c. Sane illud ſciendum eſt, quod apud Lactantium, Servium, et Porphyrium Philoſophum legimus, aliquos Deos cultos a Veteribus, ut prodeſſent; alios, ne nocerent, uti Febrem. Memoria dignum eſt, quod de hac ſuperſtitione Tullius: Illud profecto confiteamini, longe aliter rem ſe habere, atque hominum opinio ſit. Eos enim, qui Dei adpellantur, rerum naturas eſſe, non figuras deorum; qui tantus error fuit, ut perniciosis etiam rebus non tantum nomen deorum tribueretur, ſed etiam Sacra conſtituerentur: Febris enim fanum in Palatio videmus.

(5) *Cyclopes* ſagittis confixit, *Midam* punivit, *Marſyae* pellem detraxit, *Pythonem* ſerpentem interfecit &c. quae in Sacra Poetarum Hiſtoria ſunt.

XIII.

CL. ADAMO VISER.

Carmina, quae NICIO modulatur ACICHIUS, offers (1);
Noſco virum, noſco carmina, noſco animum.
Ille vir eſt, quem Phoebus amat, cui Pallas amica eſt;
Ille ſolet claros condecorare viros.
Maxima laus illa eſt (ſic me docuere Camoenae)
Quae venit a docto, conſpicuoque Viro.

XIV.

Hiſtoria ex Aeneide Virgilii

AD ILL. D. ANTONIUM VÖRÖS DE TARÁD *translata.*

Filius huic (1) fato Divum, prolesque Virilis
Nulla fuit, primaque oriens erepta inventa eſt.
Sola

(1) *Stephanus Agyich* Canonicus Quinque Eccleſienſis anno MDCCLXXXIII. dedit *Carmen in feſtam Inaugurationem Ill. D. Comitis Georgii Niczky de Eadem, S. C. et R. A. M. Camerarii, Inclyti Comitatus Veröczenſis Supremi Comitis.*

(1) *Latino* Laurentum Regi, qui profugum Aeneam ſuſcepit hoſpitio.

domum, et tantas ſervabat Filia ſedes;
matura viro, iam plenis nubilis annis (2).
ti illam magno e Latio, totaque petebant
onia; petit ante alios pulcherrimus omnes
nus Avis, Atavisque potens (3. — Haec
Verba legentem
ius admonuit rerum, quas neſcius Auctor
VOROSIADE dixit. — Tua MAGDALA! imago
eſt, aut erit haec, Spes Patris, et una Voluptas,
iciaeque domus! Mihi tu Lavinia Virgo es,
Pater eſt, quem gratus amo, venerorque,
Latinus,
quo Iuſtitia, et Pietas habitare videntur.
ego in hac una, nec fallor, imagine cerno!
Iuno, te pulchra Venus, te docta Minerva,
Phoebus, te Mercurius, te Diique, Deaeque
is implerunt donis, tituloque decenti
doram noſtro voluere in Carmine dici.
mea non alio te nomine Carmina dicent (4).
x! O vere felix, ſemperque beatus,
m tu cunque voles! Sed quae tibi propria
dos eſt,
alium vis velle Virum, quam quem Pater ipſe,
Themis aequa volet tanti Patris optima Mater;

Lavinia.

Hactenus ex Lib. VII. Aen.

παγδορα ex πας omnis et δωρον munus dicta, quod omnibus Diis peculiare quoddam donum acceperit, omnibus virtutibus excelluerit.

Euge animo Virgo! nec enim expectare moleſtum eſt,
Dum Themis ex priſco prognatum ſanguine Sponſum
In thalamum formare tuum ſanctiſſima poſſit,
Qui Patris exemplum, et veſtigia nota ſequatur.

XV.

Ad Daphnin

De Periculis Iuventutis.

Mille Iuventutis noſtine pericula Daphni?
Mille Iuventutis me Daphni damna movent.
Quocunque aſpicimus, fera tela videmus, et hoſtes.
Prodigium eſt tantis non cecidiſſe malis.
Ah quoties ego, dum memini mala Sortis iniquae,
Et doleo, et longos conqueror ire dies!
Cur mihi non liceat Mortes praevertere Morte?
Eſt aliquid ſenſus perdere poſſe ſuos.
Sic ego ne peream, periiſſe frequentius opto.
Accipiesne meas iam Libitina preces?
Illa negat, precibusque meis truculenta repugnat,
Invitosque homines ad ſua iura trahit.
Ergo ſiquis avet Vita decedere, Mortem
Vitet, et invitum ſe magis eſſe ferat.

XVI.

Spect. ac Magn. D. Conſiliario Regio

JOSEPHO DESZAN AB HANSEN

Dum Adminiſtrator Temeſienſis factus eſt.

Vota movent Superos. Pergis, quo vota fuerunt.
Perge! favet veſtris terra, polusque viis.
Sed quid ego optavi demens? mea vota retracto.
O utinam faciant irrita vota Dii!
Eſtne aliquis, qui vos diſcedere non dolet? inquam.
Quantus amor, tantus debet hic eſſe dolor.
Quis tu? quae tua ſit Coniux? Buda alta fatetur,
Et vos exemplum connubiale notat.
Felix Banatus! felix Temeſia! ſi vos
Accipiat laeto, propitioque ſinu.
Aſt ego forte diu Vobis dilecte carebo?
Haec mihi nunc animum Sollicitudo premit.
Ah precor in noſtram redeatis ut ocyus Urbem,
Et moveant faciles haec mea vota Deos!

XVII.

Erudito cuidam Peregrinatori.

Ut Te conſpexi, placuiſti. Vultus et ora
Non poſſunt mentem diſſimulare tuam.
Accipe, quo melius non poſſum adducere, munus!
Atque aliquem memori pectore cede locum.

Si

Si vos ſic omnes, ut ego, doctiſſime noſcant,
Fiet perpetuum foedus amicitiae.

XVIII.

Amico

Qui Agricolam Mercurianum duxit per Urbem magnificam.

Haec ſunt ergo Urbis veſtrae miracula: Turres,
Maenia, Templa, Domus, Amphitheatra, Viae.
Sunt hic Pyramides, ſunt Mauſolaea, Coloſſi,
Sunt ſtatuae, et Supero Tecta propinqua Iovi.
Sed quo Pyramides? quo Templa? Palatia? Circi?
Et quaecunque caput tollit ad aſtra Domus?
Omnia, quae laudas, urbis miracula carpit,
Et nihil eſt, quod non vertat iniqua dies.
Forte meum verſum, quem nunc inſpirat Apollo,
Nulla lues, nullus carpet, edetque dies.
Nil habet in Muſis Tempus, quod perdere poſſit:
Quae ſunt digna legi Carmina, morte carent.

XIX.

Epicedium

Cani Melaenae factum.

(d)

Chara *Melaena* iaces. Heu me! conſumta veneno
Vadis ad infernum, non reditura, chaos.
Vadis iter caecum ſine me, ſine Phyllide; cum qua
Somnus, et eſca tibi, vitaque dulcis erat.
Vidi ego te triſtem. Iam tum mihi viſa periiſſe es.
Et fuit in parvis Mors tibi magna fibris.
Me miſerum! Gemitum et lacrimas dolor excutit. Ite!
Ite mei gemitus! ite etiam lacrimae!
Non ſum ego vel ſaxo genitus, vel tigribus altus;
Ad mala, quae video, cor mihi molle dolet.
Huc Venus, et Veneris Pueri, Charitesque venite!
Hic aderit ſparſis moeſta Elegia comis.
Huc veniat, quaecunque cupit formoſa videri.
Siqua eſt, in planctu eſt pulchra puella ſuo.
Vivit adhuc, vivit? cuius tu crimine virus
Sumis, et aeternum Chara *Melaena* iaces!
Tecum etiam Mens illa iacet, quam ſaepe Camoenis,
Mercurioque meo complacuiſſe ſcio.

Aſt

(d) Animamque (Cauinam) his ſaltem adcumulem donis, et fungar inani munere. Aen. VI. — De morte *Pſittaci* doluit Ovidius Lib. II. Am. El. 6. In funere *Delphini* Lotichius Lib. II. El. 7. &c.

Aſt ego ſi meritas pergo contexere laudes,
Adcumulabo malae gaudia Perſephone (1).
Invida Perſephone! tu quidquid in orbe venuſtum,
Quidquid in orbe bonum eſt, ad tua iura vocas (2)!
Si qua movere poteſt virtus tua pectora, fac ſit
A Phlegetontheao tuta *Melaena* Cane (3)!
Si iam, quod vellem, nunc Carmina noſtra valerent,
In coelis *Procyon* noſtra *Melaena* foret (4).

XX.

(1) Cicero Lib. II. de Nat. Deor. Proſerpina eadem eſt, inquit, quae περσεφονη Graece nominatur; de qua Ovidius in Faſtis et Metamorphoſibus multa. Claudianus autem in poemate de Raptu illius plurima dicit. At mihi Perſephone nigram denunciat horam; queritur Tibullus.

(2) At vobis male ſit malae Tenebrae
Orci, quae omnia bella devoratis!
Ait Catullus in funere Paſſeris.

(3) *Cerberus* haec ingens latratu regna trifauci
Perſonat, adverſo recubans immanis in antro.
Aen. VI.

(4) De quo Manilius Lib. I. et V. Eſt autem *Procyon* ſeu προκυων, latine *Antecanis* ſeu *Praecanis*, quia ante *Canem maiorem* in Coelo oritur. Dicitur etiam *Canis primus*, *Canis minor*, ad diſtinctionem *Canis maioris*. *Procyon* ſtat in Coelo poſt *Orionem* ſub pedibus Geminorum, caudam vertit ad caput *Hydrae*, et quaſi latrans conſequitur *Orionem* —— fabulantur autem Poetae, hunc unum e Canibus *Orionis* fuiſſe, quem ita charum

XX.

Arma

Contra Mordacitatem Femineam data meo Familiari.

Femina te latrat, te Femina livida mordet,
Et quae probra vomit, scilicet illa doles!
Ista utique est Natura Canum; nam stirpe Canina,
Quae tibi probra facit, Femina nata fuit.
Antiquum genus est illi, regalis origo.
Iam modo scis? Hecubae te meminisse puto (1).
Si

charum ille habuit, ut *coelesti sede carere, quam Canis sui consuetudine privari maluerit*; hunc igitur a Diis obtinuit, *sibi adhaerentem inter sidera collocari.* — Alii non *Orionis* sed *Helenae* caniculam delicatam volunt, quam secum e Graecia Troiam abducebat; sed accidit, ut casu ceciderit in Mare iuxta Euboeam Insulam, ubi submersa fuerit, cuius interitum, cum doleret *Helena*, impetravit a Iove, ut inter sidera collocaretur. — Hygin. 2. Astron. Poet.

(1) — — — Regia Coniux,
Regia dicta parens, Asiae florentis imago
Tot Generis, Natisque potens, Nuribusque, Viroque
Haec Hectoris illa est
Clara parens, haec est — Priameia Coniux!

Ovid. Lib. XIII. Met.

Si lapidem iacias, lapidem mordebit; et illa,
Quae Priami Coniux fecerat, haec faciet (2).
Si fileas, caveasque Canem, victoria parta eſt.
Iſta per arma Maro! victor abire potes.

XXI.

Convivium Eruditorum.

Pulchra, et laeta dies! Primis Convivia Muſis
CHRISTOPHORUS NICZKY (1) noſter Apollo, dedit.
Illa dies doctas ad Menſam vidit Athenas;
Illa dies Divis invidioſa fuit.
Aurum, ac argentum, ſolidum et potabile, tantas
Commendat guſto lactificante dapes.

Quodt

(2) Hecuba in Polymeſtorem Thraciae Regem, ut narrat Ovidius,

Involat, et digitos in perfida lumina condit,
Expoliatque genas oculis (facit ira potentem)
Immergitque manus: foedataque ſanguine ſonti
Non lumen, neque enim ſupereſt, loca luminis haurit.

Clade ſui Thracum gens irritata Tyranni
Troada telorum, lapidumque inceſſere iactu
Coepit. At haec miſſum rauco cum murmure Saxum
Morſibus inſequitur, rictuque in verba parato
Latravit conata loqui.

Vide Euripidem, et Senecam in Tragoedia huius argumenti.

(1) Supremus per Hungariam Studiorum Protector.

uodque magis gratum eſt, eſt totus Apollo ſerenus;
Ipſum etenim Solem fronte oculisque tenet.
)ipnoſophiſtarum menſas (2), epulasque Deorum (3).
Sympoſionque, Plato quod dedit, ipſe ſcio (4).
Dipnoſophiſtarum menſis, epulisque Deorum,
Socraticisque cibis ſaepius adfueram.
Dum mihi Apollineae fas eſt accumbere menſae;
Iam nec Sympoſion, nec ſapit Ambroſia.

XXI.

(2) Qui fuerint Dipnoſophiſtae (a δειπνον et σοφος)? non eſt mihi neceſſe declarare. Differebant inter epulas de rebus et ſcientiis variis. *Athenaeus* Naucratita M. Antonii Principis tempore compoſuit librum Dipnoſophiſtraum, opus varium et eruditum; propterea dicitur a quibusdam Graecus Plinius. Integrum ad nos non pervenit. Si ex eo, quod reſtat, iudicare licet, nomen Plinii non geret.

3) Solent Poetae facere lautiſſimas epulas tam Hominibus, quam Diis. Guſtari poſſunt epulae ex libris eorum.

4) Συμποσιον, ſeu Convivium; diſſertatio de Amore eſt inter praecipua Platonis opera. Summa illius haec eſt: Amorem non eſſe Deum, ſed cupiditatem, quae nec bona, nec mala eſt, ſed huiusmodi, ut bonum adpetat. Amoris huius officium eſſe, ut inter Deum et Homines interpretis munere fungatur; naturam medio quaſi loco inter divinam et humanam conſtitutam; natus enim eſt patre deo, matre homine.

XXII.

Politiae Doctori Hungaro.

Aeternum devota tibi Politia ſalutem,
Quam multis meritis debet, ego voveo
Optime Amicorum FRANCISCE! Tuo' illa labore,
Eloquiove caput ſuſtulit e media
Nocte, ſepulcrales pridem indignata cupreſſos.
Per te vitali luce, dieque frui,
Et totam Hungariam radiis conſpergere gaudet,
Heu! nunc de Dominae funere ſollicitam (1).
Vive tibi, vive Hungariae, vive amplius Arti
Illi, vive mihi, qui tibi ſcribo, vale!

XXIII.

Aures, et Oculi Vitio Hominum ſunt Mali.

Damno oculos, auresque meas. Sunt munera Coeli;
Sed tamen haec Magni munera damno Dei.
Quod nocet, ac ſcelus eſt, aures, oculique capeſſunt.
O Deus! o animae pernicioſe meae!
Parce Deus verbo! bona ſunt tua munera; ſed me,
Qui corrumpo Dei munera magna, malum!

XXIV.

(1) *Mariae Thereſiae* Aug. et Apoſt. Reginae Hungariae. Anno enim eius emortuali datum eſt hoc Carmen.

XXIV.

Quae Dea Maxima?

Regina eſt (1); immo eſt Dea prima *Pecunia*;
(2) nulla
Vel Dea, vel maior reſtat in orbe Deus (3).
Illa Deos, Hominesque facit, facit illa potentes (4);
Maximus eſt, illam quo veneramur, Honor. (5)

H 2 Aſt

(1) Scilicet uxorem cum dote, fidemque, et amicos;
Et genus, et formam *Regina Pecunia* donat.
Hor. Lib. I. Epiſt. 6.

(2) Pecunia dicta eſt a Pecore, ſeu Pecu, quia pecus omnis pecuniae fuit fundamentum ait Varro Lib. II. de Re Ruſt. et Columella. De Graecis et Hebraeis non loquor. Servius Rex Romanorum, teſte Plinio Lib. XXXIII., primus ſignavit aes.

(3) Aliorum enim Deorum, Dearumque Cultus in Templis eſt abolitus; manſit Pecuniae: Naturam mutare Pecunia neſcit; ait Hor. Lib. I. Epiſt. 12.

(4) Huc facit, quod Chremytus apud Ariſtophanem dicit Pluto: ἐχ ἡσυχος; ἐγω γαρ ἀποδειξω σε τὸ Διος πολυ μειζων δυναμενον.

(5) In illius enim gratiam conſecratur fama, vires, probitas, vita, ſalus &c. Ideo Horatius Lib. IV. Ode 9. ait Pecuniam cuncta ad ſe ducere; Cicero autem Lib. II. de Fin. Quaerendam vel cum periculo Pecuniam. Quid Propertius Lib. III. El. 7.

Ergo

Aſt ubi templa Deae? nam Diva Pecunia templum
Non habet, ut Pietas, aut habet alma Fides (6),
Nempe Deae templum tota eſt haec Terra; Sacerdos
Omnis homo eſt, Aras, et Sacra ubique vides (7)!

XXV.

Ergo Sollicitae tu cauſſa Pecunia Vitae es;
Per te immaturum Mortis adimus iter.
Tu vitiis Hominum crudelia pabula praebes,
Semina curarum de capite orta tuo.

(6) Quandoquidem inter nos ſanctiſſima Divitiarum
Maieſtas, etſi funeſta Pecunia templo
Nondum habitas, nullas Numorum ereximus aras;
Ut colitur Pax, atque Fides, Victoria, Virtus,
Quaeque ſalutato crepitat Concordia nido.
Iuvenal. Sat. I.

(7) Lubet hic recitare verſus e Graeco Menandri traductos.
Epicharmus eſſe dixit hos quidem Deos
Ventum, Solem, Terram, Ignem, Stellas, Aquam.
Ego utiles vero Deos eſſe arbitror
Noſtros, et *Argentum*, et *Aurum* maxime.
Iſtos quidem ſi dedices tua in domo,
Quidquid voles, roges, tibi omnia aderunt,
Ager, domus, ſervique, et argyromata,
Teſtes, amici, iudices; tantum dato:
Ipſos habebis vel miniſtrantes Deos.

Sed quia iſti verſus Senarii venuſtiores ſunt in Lingua, in qua nati ſunt, Graeca, videri debent in Oratione Stobaei, quae inſcribitur: *Pluti Laus*. Conſonat his Carmen Petronii Arbitri:

Quis-

XXV.

Reverendiſſimo Domino

NICOLAO KONDE DE POKA TELEK.

(e)

Nuper, in Auguſta quae Legem acceperat Urbe,
In Patriam rediit, non velut ante, Themis (1).
Si Comites vis ſcire: Fides, Pietasque, Salusque,
Aſtraea, et Nemeſis, Lexque togata fuit.

Quisquis habet Numos, ſecura naviget aura,
Fortunamque ſuo temperet arbitrio.
Uxorem ducat Danaen, ipſumque licebit
Acriſium iubeat credere, quod Danaen.
Carmina componat, declamet, concrepet, omnes
Et peragat cauſſas, ſitque Catone prior.
Iuris conſultus, paret, non paret, habeto,
Atque eſto, quidquid Servius, et Labeo.
Multa loquor; quidvis, numis praeſentibus, opta;
Et veniet. Clauſum poſſidet arca Iovem.

e) Eccleſiae Metropolitanae Strigonienſis Canonico, Abbati B. V. M. de Candelis, alias Schawnik, Archi Diacono Sasvarienſi, antea Praelato Tabulae Regiae Iudiciariae.

1) Viennae (Auguſta in Urbe, Caeſarum ſede) anno MDCCLXXXV. ex imperio Auguſtiſſimi Ioſephi II. R. H. Concilium erat coactum e praecipuis Iuris Hunga-

Dura etiam blando risit Rhamnusia vultu,
Iustitiae Comitem dum videt ire chorum (2).
Buda! triumphales Themidi submittere fasces
Nunc opus est, Mavors et Dea Pallas ait (3).

De-

garici Consultis, in quo deliberatum, statutumque fuit de nova Themidis regula, seu Iudiciorum Norma in Hungariam inducenda. Themis inde novam Legem, seu Ordinem Iudiciarium accepit, et, non sicut antea fuit, redivit in Patriam. Redeuntem comitatae fuere Divae Pax, Pietas, &c.

(2) De *Themide*, eiusque Comitatu ac familia adeo multa et varia tradidere Veteres, ut nullo modo possint conciliari. Ideo liberum est Poetae (modo sibi constet) his rebus et numinibus uti suum in opus. Iudicio Hesiodi in Theogonia, ex Themide Iovis coniuge nata est *Lex*, et *Pax*. Addamus in hanc aut consanguinitatem, aut Societatem *Fidem*, *Pietatem*, *Salutem*, *Astraeam*, *Nemesim*; quae Dea, ut Plinius, Latinum nomen nec in Capitolio quidem reperit. Est autem Nemesis Scelerum ultrix, vehemens, et inexorabilis Dea; inquit Plato. Simulacrum eius ab Agoracrito, vel Phidia elaboratum fuit Rhamnunte, oppido Atticae, unde *Rhamnusia*. Ita Pomponius Mela, Hesychius, et Strabo. Hoc Signum M. Varro omnibus praetulit. Pausanias in Attica scribens de hoc argumento cum voluptate legitur.

(3) *Buda* mihi dicitur Bellatrix, Mavortia, Triumphalis, Laureata &c. propter multas illas vicissitudines, quas per Bella subivit, et victorias, quas reportavit: Fuit illa semper sub tutela Martis, et Armatae, Togataeque Palladis.

Depoſuit veteres Mavortia Buda triumphos,
Accepitque Sacram non violenta Togam (4).
Convenere Viri tota de gente, quibus ſunt
Iam nunc Hungarici credita Iura Fori.
Quodve tibi nulli eſt, ut ſcimus, quaerere curae,
Eſt varia in noſtro Nympha, Venusque Lare.
Saepe pharetrati blandeque iocantur Amores,
Saepe ſuas agitant nocte favente faces.
Factum eſt, ut Magni fuerant mandata Tonantis,
Coepimus in nitida dicere iura domo.
In medio verſat lances Themis alma Senatu,
In medio, ut mos eſt, conſidet alma Themis.
Nullus Cauſſidicus, nulla eſt prope terga Iuventus;
Abdita ſunt noſtrae myſtica ſacra Deae (5)
KONDE ſui generis decus inviolabile, KONDE
Noſter amor, Cleri gloria, KONDE deeſt!
Non te noſter amor, non te prudentia Iuris,
Non ZUMUR antiquae gentis origo iuvat (6).
Sic tuus *Antonius* (7), ſic ſaepe loquuntur Amici (8).
Cum per fata ſuum KONDE deeſſe vident.

(4) Suprema enim Regni Tribunalia, Politica et Iudiciaria, in hac Hungariae Metropoli ſunt depoſita.

(5) Adtingit Poeta aliquas ex illis mutationibus, quae factae ſunt in nova Iuſtitiae adminiſtratione.

(6) Gentis *Kondeanae* pater eſt *Zumur* ante quingentos et plures annos in Hungaria notus, documentis authenticis certiſſime demonſtratus.

(7) Ill. *Antonius L. B. Sandor de Szlavnicza*, S. C. et R. A. M. Camerarius, et ad Exc. Tabulam Septem Vi-

Interea multo tua venit epiſtola verſu;
Legimus, et laeto diximus ore, valet!
KONDE valet, qui nuper equo proſtratus ab alto
Non procul Elyſiis abfuit aeger agris (9).
Pegaſus, aiebas, Budam te ferre volebat;
Tu renuis; culpam poena ſequuta fuit.
Sed tamen ille tuas quod paſſus non ſit habenas,
Supplicio crimen conveniente luat.
Serviat impaſtus, ſub verbere ſaeviat Anglus,
Et gravia in duro ducat aratra ſolo.
Si quis in hanc aliquando feret te Pegaſus urbem,
Cygnus erit pennis Pegaſe Graece tuis (10).

Si

Viralem Conſiliarius Aulicus eo anno, quo facta ſunt iſta Carmina, MDCCLXXXVI., die ſexta Ianuarii. Nunc Eques Ordinis S. Stephani R. Ap. et S. R. I. Comes.

(8) Illuſtrimi Viri *Emericus Beöthy de Beſſenyö*, *Bernardus Urmenyi de Eadem*, *Andreas Semſey de Eadem*, *Franciſcus Niczky de Eadem*, *Ignatius Bezerédy de Eadem*, Conſiliarii Aulici, Iurisprudentia, multisque aliis ſcientiis, et dotibus egregiis ornatiſſimi: ad hos enim ſolebat ſcribere Ill. *Konde*.

(9) Graviſſimum vitae periculum tunc ille adiit.

(10) Notus in Poeſi Equus aliger; qui cum in Heliconem evolaſſet; ſaxum ungula feriens fontem (την πηγην) aperuit, qui ab eo Hippocrene, id eſt, fons equinus dictus eſt. Hoc equo fuit uſus Bellerophon in expeditione contra Chimaeram. Deinde cum in coelos volare nititur, decidit; Pegaſus autem inter Aſtra locum reperit. Haec Aratus inter Phaenomena; qui poſt alia inquit:

Haud

Si vacat, et validae conſtant in corpore vires;
Et vacat, et bona ſunt iam tua membra, veni!
Fortior ex caſu ſurrexit Apoſtolus alto,
PAULUS Apoſtolicae regula, duxque viae.
Nos Themis aurata vincit, cohibetque catena;
Libertas Themidis ſub iuga miſſa iacet (11).
Si noſtros igitur non aſpernaris amores,
Ut leniora cadant vincula noſtra, veni!

XXVI.

Amico

Qui de frequenti Animi Inquietudine querebatur.

Saepe graves inter fluctus tibi turbida Mens eſt;
Saepe dolor pectus, ſaepe metus cruciat.
Nil profecturos agitas in corde labores;
Duplicat occultum, quae venit hora, malum.
Sic ais, et cauſſam morbi cognoſcere tentas.
Crede mihi, in clauſis eſt ea cauſſa fibris.

Haud tibi magni
Cura laboris erit coelo ſpectare ſereno
Cornipedem. Micat ille procul flagrantibus aſtris,
Et perfuſa recens educit pectora ponto.

(11) In priore Iudiciorum Norma ſaepe diuque feriari licuit; in hac nova Iuſtitiae Curia ſine intermiſſione agitantur Cauſſae: patent Tribunalia; non prohibetur acceſſus ad thronum Themidis.

Sic Homines in noſtra ſumus tormenta creati.
Nemo hominum dura hac lege vacare poteſt.
Si tibi, quas animo vehementes ſentio, turbas
Incipiam, nullus dicere finis erit.
Nos miſeros! niſi Mens hoc corpus inane relinquat,
Non licet optata pace, locoque frui.
Si Lex nulla foret, quae me prohiberet abire,
Corpore in hoc miſero iam mora nulla foret.
Sed Lex Naturae eſt; vitae non rumpere filum,
Et propriis manibus morte perire; vetat.
Haec Tua, Magne Deus! Naturae tradita Lex eſt,
Haec vetat, et magnis terret aperta minis.

XXVII.

In Mortem Verae Amazonis.

(f)

Magnanimi Patriae Heroes, Divum genus! et Vos,
Quas in Amazonio nomine Muſa colit!
Ferte triumphales lauros, ornate trophaea!
Femina, Amazonidum maxima, ſtrata iacet.
Dicite, Io Paean! triſtes removete Cupreſſos (1)!
Robur Amazonium, NICZKYAS ANNA, iacet.
For-

(f) Vide Lib. I. huius Silvae Num. IV. de Vera Amazone in Hungaria.

(1) Arbores funereas e Cypariſſo Iuvene formoſo, ſed ante tempus mortuo, natas, cui Apollo
Ingemuit, triſtisque Deus: Lugebere nobis.
Lugebisque alios, aderisque dolentibus, inquit.
Lib. X. Met.

Fortiter, ut vixit, Mortem ſuperavit. Ab illa
Si poſſet vinci Mors fera, victa foret (2).

XXVIII.

De Amore

Quem Statua marmorea dormientem exhibet.

Surge Amor ex Somno! iam te vocat anxia Mater
Mater adeſt, vigilem poſcit ad arma ducem.
Dormit Amor, dormit; noli tibi credere *Fulvi*!
Cum dormit, vigil eſt ad tua damna Puer.
Marmoreus Puer eſt, dicis; ſuper arma recumbit;
Si ſapis, hunc Puerum, Marmor, et Arma fuge.
Hoc etiam nocuos in marmore ſomniat aſtus;
Marmore ab hoc etiam tela, facesque iacit.
Carpe tuum, quo tendis, iter; mora nulla trahatur,
Ne Puerum in Somnis experiare malum.

XXIX.

(2) Mortua die XXVI. Octobris Anno MDCCLXXXVII. aetatis XXXV.

XXIX.

Ad Diem Nuptialem

ILL. COMITU... ...ETRI DE RÉWA, ET ESTHERIS DE SANDOR.

Hymen! O Hymenaee veni! iam currit Eous,
Et novus aurato Sol vehit axe diem (1).
Illa dies haec eſt, pro qua ſuſpiria multi,
Multaque ſolliciti vota dedere Proci.
Hymen! O Hymenaee veni! te pronuba Iuno,
Te Venus, et Charites ad ſua feſta vocant.
Templa patent, altare vides, laetantur Amores,
Ventilat acceṇſas blandior aura faces.
Myrtea ſerta ferunt Nymphae (2), ſponſosque coronant,
Carmina Pierides, deliciasque canunt.

Est-

(1) Aureus axis erat, temo aureus, aurea ſummae
Curvatura rotae, radiorum argenteus ordo;
Per iuga Chryſolithi, poſitaeque ex ordine gemmae
Clara repercuſſo reddebant lumina Phoebo.
—— Volucres Pyrocis, Eous, et Aethon
Solis equi, quartusque Phlegon hinnitibus auras
Flammiferis implent, pedibusque repagula pulſant.
Lib. II. Met.

(2) Myrtus Veneri dicata, ideo illi gratiſſima: de qua Plinius multa Lib. XV. Cap. 29. Myrtea ſerta fecit Tibullus Lib. I. El. 3.

ESTHER *Sandoridum* Sanguis, qua Buda ſuperbit,
Iungetur thalamo Splendide REWA tuo!
ESTHER REVAIDI coniux datur! illa Virago,
Quam veteri ASSUERUS diceret eſſe parem (3)
Felicem te REVA tua cum Coniuge dicit
Patria, et Hungariae Dacia iuncta ſuae.
Nil ego te melius novi, nil pulchrius illa;
Hac ſpecie Virtus, ac Honor eſſe ſolet (4).

XXX.

De Pictore noſtro

Qui ſua in Tabula Foedus parabat facere inter Virtutem, et Fortunam.

ZEUXIS Germanus nuper mihi dicit: in iſta,
Quam coepi, Tabula MERCURIANE vide!
Fortuna, et *Virtus* veniunt in Foedus, amico
Sunt animo, dextras conſociare parant.
Deſine! reſpondi; nam quae dementia ZEUXI!
Fortunam ſtabili conſociare Deae?

Stare

(3) Vetus illa Eſther (ita in libro Eſther cap. 2.) erat formoſa valde, et incredibili pulchritudine, omnium oculis gratioſa, et amabilis.

(4) *Honorem*, et *Virtutem* in numero Deorum fuiſſe, et utrique peculiarem ſpeciem ab antiquitate tributam, Lector meminerit. In eorum imagine video ego Sponſum et Sponſam.

Stare loco neſcit, levis eſt *Fortuna*; priusquam
Picturam abſoluas, retrahet illa manum.
Quae modo componit Vade te, iam foedera rumpit;
Mendacemque facit ſeque, ſuumque Vadem.
Pingere *Fortunam* ſi vis, pictura *Cebetis*
Adſit; in hac *Virtus* non habet ulla locum (1).
Aut ſi forte placet, *Fortunam* pinge ſedentem;
Sic in *Apellea* cernitur effigie.
Quaerenti cauſſam dices, quod dixit APELLES:
Quae numquam ſtetit, hac nunc ſedet in Tabula (2).

XXXI.

(1) In Tabula Cebetis ſic habetur: ἡ δὲ γυνὴ ἐκείνη τίς ἐστιν &c. dabo rem latino ſermone: Sed quae eſt illa mulier, quae caecae et furenti ſimilis ſaxo rotundo inſiſtit? Vocatur, inquit, illa quidem *Fortuna*, neque caeca ſolum eſt, ſed et inſana et ſurda. Ea ergo quo munere fungitur? Paſſim, inquit, vagatur, aliis, quod habent, rapit, aliisque largitur; iisdemque rurſus ſtatim eripit, quae dedit, eaque donat aliis temere, et inconſtanter &c.

(2) Cum *Fortunam* alii aliter pingerent, Apelles pinxit ſedentem. Interrogatus cur id feciſſet? *quia numquam ſedit*; respondit.

XXXI.

Ad Quintium Cincinnatum.

(g)

*C*incinnatorum crede de Stemmate natum
Te *Quinti*, ambroſia Caeſariate coma (1)!
Maxima cura tibi eſt, eſt unica cura capilli.
Iudice te cinnis gratia prima data eſt.
Quidquid apud Veteres Ars perfectiſſima novit,
Cogitur ad crines illa referre tuos (2).

Ecce

(g) Adſumtum eſt hoc nomen, ut verum illius tegeretur, cui datum eſt hoc Carmen.

(1) *L. Quintius Cincinnatus* Romanus fuit, cui aranti adlatam eſſe Dictaturam ſcribit Cicero, Valerius Maximus, Plinius; nomen illi a Cincinnis datum eſt. Poſteri eius etiam uſi fuere Cincinnis; tandem Caligula Cincinnato ſuae aetatis Crinem ademit, teſte Suetonio. Eadem Gens *Quintia*, ſeu *Quinctia* habuit a quibusdam cognomen *Criſpinus*: quod noſtro quoque convenit.

(2) Veteres aliquando multum elegantiae, venuſtatisque putarunt eſſe in ornatu Crinium. Capilli Romanorum, non tantum Mulierum, ſed etiam Virorum poſtularunt artem magnam. Documenta hanc in rem multa ſuperſunt apud Poetas Latinos. Ovidius Lib. I. Am. El. II.

Colligere incertos, et in ordine ponere crines
Docta, neque ancillas inter habenda Nape!

Et Lib. II. El. 8.

Ecce Ciniflones (quis cetera nomina dicat?)
Cosmetaeque adsunt ad tua iussa (3). Sedes.
Iam lacerant, urunt, torquent, finguntque capillos (4)
Non dolet, inquis; ab hac nam venit arte decor.
Mille modos faciunt, nardoque perungere certant,
Qua tandem sistent in Satione comae?
Dum bene conveniunt, Baccho sum pulchrior, inquis;
Non habuit tales pulcher Apollo comas (5).
Sed

Ponendis in mille modos perfecta capillis,
Comere sed solas digna Cypassi deas!

Tum multo plurima Libro III. de Arte.

(3) *Ciniflones* dicuntur apud Plautum et Horatium; *Cinerarii* apud Catullum; *Cosmetae* (κοσμητης) apud Iuvenalem, et *Psecades* (a Ψεκαζειν) ancillae, quae matronarum delicatarum capillos medicamento fuco conspergunt, vel nardo, alioque odore imbuunt.

(4) Componit Crinem laceratis ipsa Capillis
Nuda humeros Psecas infelix ——
Altera laevum
Extendit, pectitque comas et volvit in orbem.
Est in Consilio Matrona ——
Sententia prima
Huius erit; post hanc aetate, atque arte minores
Censebunt, tamquam famae discrimen agetur,
Aut animae: tanti est quaerendi cura decoris ——
Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Aedificat caput; Andromachen a fronte videbis,
Post minor est; aliam credas &c. Iuvenal. Sat. VI.

(5) *Bacchus*, et *Apollo* sunt inter Deos intonsi; unde dicuntur pulchricomi, &c.

Sed puto peccat acus; clamas, iraſceris, ardes,
Atque aliud curae eſt aedificare caput (6).
Forte tuos aliquando petet Venus alma Capillos,
Et Bereniceo more per aſtra feret (7).
Si Veneri placuiſſe cupis, coelumque ſubire;
Danda tuae Veneri, ſed reſecanda coma eſt.

XXXII.

(6) Altior hic quare Cincinnus? Taurea punit
Continuo flexi crimen facinusque capilli.
Quid Pfecas admiſit? quaenam eſt haec culpa puellae,
Si tibi diſplicuit naſus tuus? &c. apud Iuven. —

Unus de toto peccaverat orbe comarum
Annulus, incerta non bene fixus acu.
Hoc facinus Lalage ſpeculo, quo viderat, ulta eſt.
Et cecidit ſectis icta Plecuſa comis.
Deſine iam Lalage triſtes ornare capillos,
Tangat et inſanum nulla puella caput.
Hoc Salamandra notet, vel ſaeva novacula nudet,
Ut digna ſpeculo fiat imago tuo.

Martial. Lib. II. Ep. 66.

(7) *Berenice* Ptolomaei Philadelphi filia cum maritum Ptolomaeum Evergetem haberet bello implicitum, Comam inſignis elegantiae devovit Veneri pro incolumitate Viri. Ille cito, victorque rediit. Mulier voti memor Comam adpendit in templo Veneris, unde die ſequenti diſparuit. *Conon* Aſtronomus in coelos delatam eſſe dixit, ubi nunc quoque pluribus ſtellis fulget. De hac Coma natum eſt Carmen *Callimachi* Graeci, et *Catulli* Latini, apud quem legere eſt hiſtoriam, et poeſim, Aſtronomica cum ſcientia egregie deſcriptam.

XXXII.

Quae maxima in Terris Felicitas?

Speravi, et metui; Spes hinc, Metus inde tenebat,
Et saepe in curis Noxque, Diesque fuit (1).
Tunc nec Musa iuvat, nec dat sua munera Somnus;
Anxietas animos irrequieta premit.
Optabam Siculi tormenta subire Tyranni;
Poena Perilleo lenis in aere foret (2).

Ir-

Ex quo Carmine noscitur, *Catullum* fuisse scientia astronomica optime instructum, eaque de causa inter Poetas Nomen *Docti* obtinuisse.

(1) *Spes* et *Metus* divinis honoribus celebratur a priscis. Theognis et Pindarus tradidere *Spem* inter homines remansisse ceteris Sororibus in Coelum propter scelera hominum fugientibus; quod sequutus est Ovidius Lib. I. de Ponto El. 7.

Haec Dea, cum fugerent sceleratas Numina terras,
In Diis invisa sola remansit humo &c.

Figura eius fuit varia. Peculiaris est illa, per quam Spes repraesentatur ab Antonio Milliaeo in Moysi Viatore Carmine Epico, et Francisco de Luca Poetis aevi tardioris. *Metum* (timorem, formidinem, Φοβον) ideo coluerunt, ut a Civitate abesset. In Scuto Agamemnonis ostentabat Caput Leoninum, teste Pausania.

(2) *Phalaris* Agrigentinorum in Sicilia Rex notus est a Tauro aeneo, quem *Perillus* compositerat. Qui in illum missi fuere, igne subiecto cremabantur.

Irrita vota cadunt. Tandem me ad Pallada verto,
Et fero odoratas ad ſacra templa Preces (3).
Pallas adeſt; Pallas Loricam ex aere rigentem,
Et ſcuta horribili Gorgone tecta dedit (4).
Nec mala iam metuo, nec iam bona ſpero Sabine!
Loricam, et Scuta haec Spesque, Metusque fugit.
Si tamen adverſis Spes, aut Metus irruat armis;
Sentiet adverſus hoſtis uterque manus.
Nemo eſt in Terris, mihi crede, beatior illo,
Illo Homine, inquam, qui *Speque*, *Metuque* caret (5).

3) Hic mihi venit in mentem, quod ait Homerus Iliad. IX. 493. ϛρεπτοὶ δὲ τε καὶ θεοὶ ἀυτοὶ? flecti enim poſſunt etiam ipſi Dei &c. qui *Preces* (τας λιτας) facit Iovis filias.

4) *Palladem* eſſe armatam et aegide munitam nemo neſcit. Allegoria eſt hic; de qua forte monere non eſt neceſſe.

5) Hunc in ſenſum *Bacchyllides* Lyricus: εἰς ὄρος, μιὰ βροτοισιν ἐξιν ἐυτυχιας ὁδος: θυμον ἐι τις ἐχων ἄπενθη δυναται διατελον βιον. &c.

XXXIII.

Ad Fornacem.

(h)

Tu mihi delicias Fornax facis optima! Salve,
Digna es thure sacro, Carminibusque meis.
Tu nec hyberboreos Ventos, nec Frigora sentis;
Tangere non audet te glacialis Hiems.
Tu mihi, dum saevus domat arva, tegitque December,
Ver facis, et laeto membra tepore foves.
Tu Solem hibernum geminas, et tempora Noctis
Inviſae Muſis reddis amoena meis.
Fruſtra ſuas Aquilo, Scythicis reſolutus ab oris,
Colligit, et clauſa ſpargit in urbe nives,
Si mihi ſicca foco eſt quercus, funditque calorem,
Deridebo tuas aſpera Bruma minas!
Ventorumque fugam celerem, clademque peractam
Carmine, Laetitiae conveniente, canam.

XXXIV.

(h) Facta Dea eſt Fornax, ait Ovid. Lib. II. Faſt. Et Fornacali ſunt ſua Sacra Deae Lib. VI. Quis non rideat Fornacem Deam? vel potius doctos Viros celebrandis Fornacalibus operari? ait Lactantius Lib. I. de Falſa Rel.

XXXIV.

De Danubio Budenſi glacie conſtricto.

Ecce iterum gelido ſub frigore clauditur Iſter,
Captivoque trahit vincula dura pede!
Portior eſt igitur Boreas, qui ſurgit ab Arcto (1),
Quam qui centenis volvitur Iſter aquis (2).
Inde tuis Borea venit iſta potentia pennis (3)?
Unde tuis Iſter tam levè robur aquis?
Ille rates vectare ſoles, et pondus in illis,
Quamvis pondus ineſt, tu tamen eſſe negas.
Vidi ego, cum ripas, et ſaxa minantia ſternis,
Effundisque vagas per ſata victor aquas.
Tunc te non Homines, non Dii potuere domare,
Et quodcunque ruit fulmen, inane ruit.
Nunc gemis, et luctum Fluviorum Maxime, monſtras,
Vinculaque, et quando diſſoluenda? geris.

1) Orpheus et Heſiodus tres tantum fecere Ventos, nempe Boream, Zephyrum, et Notum. Boreas et Aquilo mihi idem eſt; habitat ad Polum Arcticum. Scythiam ſaepe reviſit, et inde ſe ultro diffundit.

2) Multis enim rivis et fluviis augetur Danubius, priusquam Budam delabatur.

3) Alatos Ventos dixere non tantum Graeci et Romani, ſed etiam Hebraei Poetae; ut eſt in Codice Divino.

Non te Vis antiqua iuvat, non flumina multa,
Non Phlegeton, calidas, qui tibi fundit aquas (4)?
Omnia qui potuit ſuperare repagula, debet
Servire, et Boreae frena, iugumque pati.
Ni velit ille iterum, fruſtra ſunt Numina; (5) fruſtra
Et Martem, et Cererem, Mercuriumque vocas (6).

XXXV.

(4) Thermas Budenſes ex Phlegethonte Tartareo oriri credunt Poetae:

Quae rapidus flammis ambit torrentibus omnis
Tartareus Phlegethon, torquetque ſonantia ſaxa.
Aen. III.

φλεγω enim Graecorum ardorem notat. Omnes illae Thermae miſcentur Danubio.

(5) Boream etiam eſſe Deum dixere Veteres; ideo illi templa, ſacraque faciebant.

(6) Danubius eſt neceſſarius Marti ad Bellum, Cereri ad Annonam, Mercurio ad Mercimonia. Sed fruſtra ille ſuſpirat eorum opem ſaeviente Bruma, et potiſſimum Borea.

XXXV.

Anonymo

Vota die natali effugienti.

Rursus Vota fugis; fugientem Vota sequuntur
Quove minus quaeris, te magis illa petunt.
Si sic sacra fugam sequeretur Mitra, Pedumque,
Praestaret tergum vertere, quam faciem (1).
Sed nos iam frustra petimus, fugimusque quod aequum est.
Et Verba, et Cursum Mitra, Pedumque fugit.

XXXVI.

Adamo Evae

sine Cognomine.

(i)

Estne hoc, quod narrant? quaero, quia Credere non est
Tutum sermoni: fallere Fama solet.
Duplex Nomen habes? *Adamus*, et *Eva* vocaris?
Mane, aiunt, *Adam*; Vespere es *Eva*. Itane est?

(1) Anonymus ille est ex Ordine Ecclesiastico; Mitra, et Pedum insignia Dignitatis et Honoris.

(i) Locus Extemporaneus.

Aut potius tu ſemper *Adam*, tu ſemper es *Eva*?
Hoc proprius vero eſt: ſic aliqui memorant.
Adamum Baptiſma facit; verſatilis *Evam*
Natura et mores; non ego, ſic alii.
Eva ſuum primaeva Virum decepit *Adamum*.
Decepit ſolum femina ſola Virum.
Fallere non unam, ſed multas diceris *Evas*.
Hocne malum eſt? non eſt. Femina digna dolo eſt.
Fallere femineum genus Ars, et maxima dos eſt.
Ergo age, femineum fallere perge gregem!

SILVAE
PARNASSI PANNONII.
LIBER IV.

I.
ECCLOGA
DE NATIVITATE DOMINI
Meliboeus et Aegon.

MELIBOEUS.

Chare Aegon! dic, ſi vidiſti; namque ego vidi
Hac nocte inſolitum delabi lumen ab alto,
Dum damus excubias ſolito de more capellis,
Nil ſimile in noſtris unquam conſpeximus arvis
Antea; inacceſſi, quae ſunt, penetralia coeli
Viſa fuere mihi pandi; lux maxima fulſit,

ARGON.

Immo equidem maiora. Hic, hic Meliboee, ubi Clivus
Lene venit, facilemque viam ſcandentibus offert,
Vidi equidem, vidi ipſe oculis deſcendere coelo
Ingentem Iuvenum turbam, queis candida colla,
Candida Caeſaries, veſtisque flagrantior aſtris.
O! ſi etiam audiſſes; pueri uam dulce canebant.
Pax, bene ſi memini, pax, pax! concordibus illi
Cantabant linguis; et gloria, gloria celſis!
Quin puer unus erat, reliquos qui lumine tantum
Vincebat, quantum Solis rota ſplendida Lunam.
Hic plane in terras lapſus Paſtoribus adſtat.
Collectae turbantur oves; mea pectora terror
Parte ſubit, ſed parte tamen maiore voluptas.
Ille ait: O! nimium veſtro gens chara Tonanti
Parce metu; numquam vobis tam proſpera, numquam
Aut nox, aut fuit ulla dies. Iam denique venit
Humano indutus, veluti vos, corpore; venit,
Quem pridem cecinere Patres, cecinere Sibyllae
Adflictis laturum olim ſolatia rebus.
Ite Citi, natumque recens venerate Tonantem!
Qua ſe Bethlaea curvat ſub rupe caverna,
Invenietis eum ſtabuli vagire ſub antro.
Non longe eſt, quod ait; properantes ibimus.
— — Ecce!

MELIBOEUS.

Vere hic eſt, Puer ille hic eſt! — ſubeamus in antrum.
O Divine Puer! mundi melioris origo,
Ve-

Venisti tandem Coelo delapsus ab alto,
Ut nos cognata scelerum sub mole gementes
Eriperes, Coelique inferres victor in arces!
Ah quantum tua ego cunabula suspiravi!
Quamve ego te votis optavi ardentibus! O quam
Saepe inclamavi: Rorate palatia Coeli,
Et pluite o! nubes Iustum iam desuper illum,
Qui feret adflicto tandem Solatia mundo!
Audior! en votis Coelum, nubesque secundant.

AEGON.

O felix Virgo! quae Coelo adiungere terras
Tantis foederibus digna es, tantamque sub auras
Edere Progeniem; quam te memoremque, colamque?
Altera tu nostrae es reparatrix Virgo salutis.

MELIBOEUS.

Non satis est vidisse semel; nam donec in antro hoc
Divinum Infantem potero cum Matre videre,
Nulla dies ibit sine te; mea maxima Cura
Hic erit, et mihi eris posthac Puer omnia Solus.

AEGON.

Huic ego thura feram, pressique coagula lactis,
Plurimaque ante aras nostra cadet hostia dextra.

MELIBOEUS.

Muneris inſtar habe Puer o Divine! meum Cor.
Nil magis acceptum dare poſſumus; omnia, quae ſunt
Grata Deo, de corde hominis veniſſe neceſſe eſt.
Si noſtrum Cor habes, bona habes noſtra omnia Solus.

AEGON.

Summe meum pariter, ſumme et Senioris Amyntae,
Qui nos hoc Calamo docet, et dat fundere verſus.

II.

Feſtum Divi

ANTONII DE PADUA

Ruri celebratum.

(a)

Ut fugiat pia Vota Comes, qui Iura gubernat (1)
Venit ad ANTONII Rura, Domumque mei (2) Quo

(a) Anno MDCCLXXXVII.

(1) Excell. D. C. *Antonius Jankovics de Daruvár*, qui Lib. I. n. XI.

(2) Illuſt. *Antonium Vörös de Tarkő*, de quo iam alias

Quo fugis? inclamant, Budaque ſequantur Amici
Invenient illo te pia Vota loco.
Salvete ANTONII! Salve Comes optime! Tuque,
Quem colit in proprio multa corona Lare,
MAGDALA! Patris amor, tenero fer gaudia Patri,
Quemque cupit, thalamo MAGDALA iunge tuo.
Fallor, an ille cupit PETRUM (3)? non fallor, in illo
Depoſuit mentem Tuque, Paterque ſuam.
Quis PETRO melior PETRO ſucceſſerit (4)? Ille
Patre tuo dignus, dignus amore tuo eſt.

III.

Ad Philoſophiam.

O! Dea! quae mentes, animosque aliquando regebas,
Quo tandem nunc es *Philoſophia* loco (1)?
Quae

(2) *Petrum* illum, cuius cognomen non expreſſit Poeta, cum cecinit; declaravit Annus octogeſimus octavus; ſecunda enim Ianuarii die Connubium eſt factum inter *Petrum de Vigh*, et *Magdalenam de Vörös* iuvenes aetate, multisque animi, ac corporis praerogativis florentiſſimos.

(4) *Sanctus Petrus* (Szent Péter) Dynaſtia Ill. *Antonii Vörös* in Provincia Albenſi.

(1) *Philoſophia* virtutis continet, et officii, et bene vivendi diſciplinam; ait Cicero in Piſonem. Ideo Lib.

V

Quae quondam in terris proba *Philoſophia* valebat
Diſcipulos potuit dinumerare ſuos (2).
Nunc quae depulſae ſuccefferat improba Divae
Quot folia in ſilvis, tot putat eſſe Sophos.
Nam quicunque malo novere audacius uti
Iudicio populi ſunt modo *Philoſophi* (3).

IV.

V. Tuſc. Qu. n. 2. Converſus ad eam: O vitae Philoſophia dux! o virtutum indagatrix, expultrixque vitiorum! quid non modo nos, ſed omnino vita hominum ſine te eſſe potuiſſet? tu urbes peperiſti, tu diſſipatos homines in Societatem vitae convocaſti, tu eos inter ſe primo domiciliis, deinde coniugiis, tum literarum et vocum Communione iunxiſti; tu inventrix legum, tu magiſtra morum et diſciplinae fuiſti. Ad te confugimus, a te opem petimus, tibi nos, ut antea magna ex parte, ſic nunc penitus, totosque tradimus!

(2) Eſt Philoſophia paucis contenta iudicibus, multitudinem conſulto ipſa fugiens, eique ipſi et ſuſpecta, et inviſa. Lib. II. Tuſc. Qu. n. 1.

(3) Sophiſtas, aut potius Pſeudo philoſophos adpellare convenit; dignique ſunt, qui omnibus illis Satyris, ſarcasmisque accipiantur, quos Socrates apud Platonem in eos ſaepe effudit.

IV.

De Apotheoſi Herculis.

Quis fuit in Graeco maior Deus Hercule mundo (1)?
Graecia nam multos credidit eſſe Deos.
Mille feras domuit, Coelum portavit, Avernum
Terruit, et Stygii pallida regna Dei (2).
Nunc ubi ſit? quaeris. Dicat *Paeantius* Heros (3).
Ardentem et miſerum viderat ille Deum (4).

V.

(1) Qui ob virtutem Clariſſimus, et quaſi *Africanus* inter deos habetur; ait Lactant. Lib. I. n. 9.

(2) Enumerat ille ſuos labores, factaque fortia apud Ovidium Lib. IX.

Ergo Ego foedantem peregrino templa cruore
Buſirim domui? Saevoque alimenta parentis
Antaeo eripui? &c. &c. — Defeſſa iubendo
Saeva Iovis coniux, ego ſum indefeſſus agendo.

(3) *Philoctetes* Paeantis filius, Herculis Comes.

(4) Ardebat enim *Hercules* igne duplici, inteſtino uno, quem ex tunica *Neſſi* Centauri cruore peſtifero imbuta conceperat; et altero, quem Pyra a *Philoctete* conſtructa dabat. De illo primo dictum eſt:

Pulmonibus errat
Ignis edax imis, perque omnes paſcitur artus. —
— — Lethiferam conatur ſcindere veſtem;
Qua trahitur, trahit illa cutem (foedumque relatu)
Aut haeret membris fruſtra tentata revelli,

Aut

V.

De Stephano

Qui ſuum Nomen anniverſaria Solemnitate recoluit.

Nomen Ei *Stephanus*, non *Rex*, ſed[a] *Martyr*
adaptat (1),
Cui ferimus feſto candida vota die.
Nomen

Aut laceros artus, et grandia detegit oſſa.
Ipſe cruor, gelido ceu quondam lamina candens
Tincta lacu ſtridet, coquiturque ardente veneno. &c.

De altero illo igne, quem ſtructa Pyra dabat, ſcribit idem Poeta:

Iamque valens, et in omne latus diffuſa ſonabat,
Securosque artus, contemtoremque petebat
Flamma ſuum —— —— —— ——
—— —— Quodcunque fuit populabile flamma
Mulciber abſtulerat, nec cognoſcenda remanſit
Herculis effigies.

Hunc homines deum putant? inquit *Lactantius*. Sed *Philoctetes* eius heres non putavit; qui facem ſuppoſuit arſuro, qui artus eius et nervos cremari ac diffluere vidit, qui oſſa eius et cineres in *Oeteo* monte ſepelivit.

(1) Duos praecipue *Stephanos* habemus in Faſtis Eccleſiaſticis, *Protomartyrem* alterum, alterum *Regem* ex Hungaria. στέφανος Corona, μάρτυς teſtis.

Nomen utrumque tenet, nomen conſentit utrumque;
Eſt etenim vere *Martyr*, ut eſt *Stephanus*.
Diſſimiles diverſa facit, ſed idonea cauſſa;
Ille fuit *Fidei* Martyr, *Amoris* hic eſt.
Ille animam poſuit lapidatus, et aſtra petivit;
Hic manet, atque animo tela, faceſque gerit.

VI.

POETA HERMOPOLITANUS

Scripta quaedam Iuvenilia flammis abſumit.

Scripſi multa, velut Iuvenis, quem ſpiritus audax,
Intempeſtivo laudis amore rapit.
Deniſuit ſcripſiſſe; Virum maturior aetas
Urget, et *Althaeam* me iubet eſſe novam.
Ila ſuum Gnatum medios coniecit in ignes,
Et melior ſoror eſt, quam fuit ante Parens.
Iciſcor; rogus iſte cremet mea viſcera, dixit;
Dignus enim flammis es *Meleagre* tuis (1)!
Ic ego, quos genui Iuvenili aetate, libellos
Proiicio in rapidos, ut meruere, focos.

Mul-

(1) *Meleager* Avunculos ſuos (matris fratres) occidit. Mater *Althaea*, ut hac de caede vindictam ſumeret, fatalem illum ſtipitem, cui vita, ſalusque filii ſui *Meleagri* fuit a Parcis addicta, coniecit in ignem, et ſum per flammas coegit mori. Hiſtoriam recenſet Ovidius Lib. VIII. Met.

Mulciber in noſtros veniat, mala pignora, verſus;
Impietate pius, dum licet eſſe, volo.

VII.

Ironia

De Aetate Noſtra, quae nihil magis, quam Amorem Proximi celebrat.

Nullum odium, nulla eſt diſſenſio, nulla ſimultas.
Aurea Saturni tempora Phoebe vehis! (1)
Otia ſecurae ducant molliſſima Gentes.
Eſt ſincera fides, regnat amicitia.
Eſtne? vel eſſe poteſt, qui non loqueretur Amorem?
Cor riget, at ſermo totus Amore calet.

VIII.

(1) Imaginem illius habes apud Tibullum Lib. I. El. 3. Ovidium Lib. I. Met.

Senecam in Hippolyto, et Octavia &c.

Quam bene Saturno vivebant Rege! priusquam,
Tellus in longas eſt patefacta vias. —— ——
Non acies, non ira fuit, non bella, nec enſes
Immiti ſaevus duxerat arte faber.

VIII.

HISTORIA

URANIAE MUSAE

Quam inter Deos, Deasque, Planetarias recens detexit

HERSCHELIUS.

Inserta Ephemeridibus Astronomicis Vindobonensibus ad Annum 1788.

* * *

Quem nunc Astronomi iam norunt esse Planetam,
Musa fuit, clari Nominis, URANIE.
Hanc semel, haud ultra, FLAMSTEED, et MAYER in Astris
Vidit, at immoto credidit esse statu (1).

K 2 In-

(1) Celeberrimus *Flamsteed* Angliae Astronomus Anno 1690. et cel. *Tobias Mayer* Academiae Reg. scientiarum Göttingensis Astronomus Anno 1756 semel tantum conspexere hoc sidus; nam si ultra, diversisque Diebus hunc Planetam observassent, motum illius, quem censeo tunc e Tellure visum, non fuisse *Stationarium*, certo comperissent, et iste vel ille prior novi Planetae ante *Herschelium* Repertor extitisset. Quod autem *Flamsteed* et *Mayer*, dum Catalogum stellarum fixarum construxere, unam tantum istius Astri observationem ha-

Infortunati! quos Parca peremerat ante,
Quam licuit noſſe, et dicere quid videant?
Huc

habuerint, ea eſt cauſſa, quod Luce, et Magnitudine ſua apparente ſimillimum ſit Fixis ſextae vel ſeptimae claſſis, quas propter ingentem talium ſtellarum Numerum Aſtronomi, dum Catalogum *Fixarum* conſtruunt, *ſemel* duntaxat ſoleant obſervare, earumque *Poſitionem* ex *una* tantum obſervatione deſignare, et ordini, Catalogoque ſuo inſcribere. *D. Herſchelius* quamprimum hoc Aſtrum repetita poſt duas Dies obſervatione, ſuo Loco motum deprehendit, celeberrimum *D. Maskelyne* Aſtronomum Regis Angliae commonuit, qui primo motum eius determinavit, et *Cometam* vel ad Solem accedentem, vel ab eo recedentem eſſe ratus, Aſtronomos Europae ad novum hoc Phaenomenon excitavit. Multi per annum integrum invigilarunt huic ſideri, et ſicut cum *Cometis* fieri ſolet, in Orbita parabolica ſuis illud Calculis ſubiecerunt: tandem cum nulla Parabola Motibus eius obſervatis ſatisfaceret, neque Diameter eius apparens creſceret, vel decreſceret, proinde Diſtantia eius a Tellure invariata ad ſenſum maneret, More Planetarum in Orbita Elliptica, non multum a Circulo differente periculum facere inſtituerunt, et omnino Planetam, idemque eſſe ſidus compererunt, quod *Flamſteed* et *Mayer* in iis prorſus Locis *ſemel* conſpexerunt, ſed *Fixam*, ob Cauſſas dictas putaverunt. Id quoque feliciter accidit, quod eo Tempore, ſcilicet Die 13, et 15. Martii Anno 1781. dum ſecundum viſus eſt *Herſchelio*, non fuerit *Stationarius*: nam ſequs Motus illius animadverti non potuiſſet, manſiſſetque in Catalogo Fixarum *Stella Fixa*, ac inter extinctas numerata. Geminae ſunt igitur huius Inventionis cauſſae: altera, quod Aſtrum iſtud ab

Her-

Huc oculos, Animosque Viri, qui quaeritis Aſtra!
Mira, ſed (Hiſtoriae credite) vera canam (a)

Herſchelio *ſecundum* et *iterum* fuerit obſervatum; altera, quod eo Tempore non fuerit *Stationarium*. Hiſtoriam Inventionis huius cel. *D. de La Lande* proponit Tom. VIII Ephemer. Motuum coeleſtium de Anno 1785. Eadem latine reddita, inſerta eſt Ephemeridibus Aſtron. Vindob. ad Annum 1787. in Appendice. Idiomate teutonico eandem conſcripſit cel. *D. Bode* Aſtronomus Berolinenſis ſub Titulo: Von dem neu entdeckten Planeten; Berolini Anno 1784. Idem plurima de hoc Planeta refert in ſuis Ephem. Berolinenſibus Idiomate teutonico editis ab anno 1784 ad 1789; pleniſſime autem in Transactionibus Philoſ. Anglicanis.

(a) Antiqui etiam Cantores ſolebant *Aſtronomica* canere, uti *Iopas*, quem in Aſtronomia maximus *Atlas* erudiit: Hic canit errantem *Lunam, Solisque* Labores, *Arcturum*, pluviasque *Hyadas*, *geminosque Triones* &c. Fuit autem hic Cantus in Regia Didonis Feſtivitate maxima Aeneid. I. Imo multo plura de mirabili Mundi Conſtitutione, divinaeque Mentis Sapientia; eiusmodi Cantus eſt apud *Apollonium* Lib. III. Argonaut. Ἦεν δ' ὡς γαῖαν, καὶ Οὐρανὸς ἠδὲ θάλασσαν &c. Quis neſcit *Arati* Phaenomena, quae *Cicero*, *Caeſar Germanicus*, et *Feſtus Rufus Avienus* Latinitate donaverunt? quis inquam *M. Manilii Aſtronomicon*, et alia his recentiora poteſt inter Eruditos ignorare? quis non admiratur ſingularem Aſtronomiae peritiam in operibus Poetarum claſſicorum? neque enim *alia cauſſa* reddi poteſt, cur veteres Poetae tam Graeci, quam Latini *Uraniam*, unam e Muſis, et Parnaſſi *Incolam* eſſe voluerint, quam, quod Poetis illis ſtudium *Aſtronomiae* fuerit

Trita Poetarum Commenta, Salesque relinquo
Non erit in Numeris Fabula vana meis.
Diva,

---

fuerit praecipuum; ſicut reipſa a Poetis veteribus ſtudium Aſtronomicum fuiſſe cultum, eorum opera, Rebus ex Aſtronomia petitis, ornata teſtantur. Quae autem ſint Cauſſae, cur rariores hodie ſint Poetae, Aſtronomiae gnari, plurimi autem, qui *Uraniam* Muſam, a veteribus Poetarum Patribus maxime cultam, ſibi de nomine vix notam, et a Parnaſſo veluti *Exulem*, utinam non (cum *Voltairio*) tanquam ceterarum Pieridum indignam conſortio Muſam Deridiculo habeant, *veriſſime* docuit *Ovidius*, *Uraniae* Muſae quam maxime familiaris, dum Faſtorum Lib I. de *Aſtronomis* et *Uranophilis* ita cecinit:

Quid vetat et Stellas, ut quaeque oriturque, caditque
Dicere? Promiſſi Pars ſit et iſta mei.
Felices animos, quibus haec cognoſcere Primis
Inque Domos ſuperas ſcandere cura fuit!
Credibile eſt, *illos* pariter *Vitiisque*, Locisque
Altius *humanis* exeruiſſe Caput.
Non *Venus* et *Vinum* ſublimia Pectora fregit;
Officiumve Fori: Militiaeve Labor.
Nec levis Ambitio, perfuſaque Gloria Fuco:
Magnarumve Fames ſolicitavit Opum.
Admovere oculis diſtantia ſidera noſtris,
Aetheraque Ingenio ſuppoſuere ſuo.
Sic petitur Coelum! non, ut ferat Oſſan Olympus,
Summaque Peliacus ſidera tangat Apex.
Nos quoque ſub *Ducibus* Coelum metabimur *illis*,
Ponemusque ſuos ad ſtata ſigna Dies.

Qua

Diva, cui verum eſt curae, mihi verba miniſtrat
Cunctaque *coeleſtis* (3) Virginis Acta refert (4).

Qua etiam veneratione reliquae Parnaſſi Muſae *Uraniam* proſequi deberent, idem *Naſo* eleganter docuit Lib. V. Faſtor. Dum enim *Naſo* cauſſam a Muſis ſibi exponendam rogaſſet, cur Menſis quintus Annj vocatus fuerit *Maius*? expoſitis diverſarum Muſarum Rationibus, dum ordo ſententiam dicendi ad *Uraniam* veniſſet, ſic canit:

Finierat voces *Polykymnia*, Dicta probarunt,
Clioque, et curvae ſcita *Thalia* Lyrae.
Excipit *Uranie*: fecere ſilentia cunctae;
Et vox audiri nulla, niſi illa poteſt.

(3) Vox graeca *Uranie* latine redditur *coeleſtis*.

(4) *Uraniam* ſemper fuiſſe *Virginem*, potior eſt Antiquitatis ſententia. Fuere nonnulli, qui Muſas *omnes* ſemper *caſtas* manſiſſe dixerunt: uti Plato in Epigrammate Teſtis eſt, quod eſt apud *Diogenem Laertium* Ἀ Κυπρις Μουσαισι &c. Ideo *Lucianus*, quem nunc certe plurimi amamus, ait: Muſas eſſe ἀτρωτους, ſeu *invulnerabiles*, quod Facem, Sagittasque *Cupidinis* nunquam fuerint expertae. Sunt tamen, qui Muſas Filios, Filiasque progenuiſſe dicant; ſed haec eo ſenſu Allegorico accipienda ſunt (quemadmodum Natalis Comes in ſua Mythologia de Muſis obſervat) ut illi, qui Muſarum Filii vel Filiae dicti ſunt, *ea fuerint Ingeniorum, Scientiaeque Praeſtantia, ut divinitus de Coelo demiſſi inter Homines viderentur; cum nullum Deſiderium Veneris alioquin cadere poſſit in Corpora coeleſtia.* Dicuntur ergo Muſae eo modo *Matres*, quo *Magiſtri* diſcipulorum dicuntur *Patres*: ita in Mytho-

logia

* * *

URANUS URANIAE Sator eſt, ſi ſcire neceſſe eſt,
Matrem etiam poſſum dicere: Veſta fuit (5).
Fra-

logia Linocerii: *Clio* dicitur Mater *Homeri*: Polyhymnia *Pindari*: Erato *Sapphus*: Melpomene *Thamyris*: Terpſichore *Heſiodi*: Thalia Agriculturae Magiſtra *Maronis*: Euterpe *Naſonis*: Uranie *Muſaei Arati* &c. Calliope *Orphei*, atque hoc modo Muſae et Virgines, et ſimul Matres dici poſſunt.

(5) Primi Mythologi et Scriptores *Muſaeus*, *Mimnermus*, *Alcmaeon*, et poſt hos *Euſebius*, ac alii prodiderunt, Muſas, et imprimis *Uraniam* eſſe *Urani* et *Terrae*, ſeu *Veſtae* Filiam; quibus in Hymno, quodam conſentit *Pindarus*, ſic Muſam adlocutus: Ἀρχε δ' Ουρανε θυγατερ! *Incipe vero Coeli Filia* &c. ubi Commentatores ex *Ariſtarchi*, aliorumque ſententia adſerunt *Uranien* et reliquas Muſas *Urani* Filias; ſic etiam *Pauſanias*. Eſt autem Ουρανος (*Uranos*) Latinis *Coelum*, aut more veteri *Coelus* vel *Coelius*, Ουρανιη (*Uranie*) vel Ουρανια (*Uranie*) *coelica* vel *coeleſtis*. Quod qui norunt, et tamen novum Planetam non *Uraniam*, ſeu *coeleſtem*, ſed *Uranum* ſive *Coelum* appellant, profecto ſunt valde admirandi. Ουρανος apud Graecos aut totum *Coelum*, aut totum *Mundum* ſignificat, quod innumeris Documentis palam fieri poteſt. Iam nomen ipſum Ουρανιη ab Ουρανος deſcendens et derivatum ſatis indicat, *Uraniam* eſſe *Urani* Filiam. Recentiores Mythologi Genitorem Muſarum faciunt *Iovem*; credo autem ſub Nomine *Iovis* eos intelligere *Coelum*, ſeu *Uranum*; ſaepe enim Poetae pro *Coelo* ponunt *Iovem*, ut conſtat. Porro *Veſta*, ſeu *Tellus*,

aut

Frater erat SATURNUS, ait MUSAEUS, et illi,
Quos habuit veros Graecia prima Duces (6)
Hac de Matre novem generaverat ille Sorores;
Haec est Aonii Turba novenna lugi. (7)

aut *Terra*, Uxor est *Coeli*, seu *Urani*, ex qua genitam ferunt *Uraniam*, et ceteras Musas, *Saturnum*, et Turbam magnam Deorum, Dearumque. Tradunt alii *Vestam* aliam *Iovis* Sororem castam, et perpetuo Virginem, quae colebatur sub figura *Ignis*, habebatque Sacerdotes Virgines Vestales. *Ovidius* vero post alios docet, unam, eandemque *Vestam* fuisse, sed duplici specie cultam Fastor. VI.

Vesta eadem est, et *Terra*; subest vigil *Ignis* utrique,
Significat sedem, Terra, Focusque suam.

Ceterum, caussam cur Veteres *Terram* appellarint *Vestam*, reddit idem *Ovidius* Libro eodem VI. Fastor. Stat Vi Terra sua, *Vi Stando*, Vesta vocatur. Hodie cum Tellus inter Planetas circum Solem mobilis ab Astronomis demonstretur, rectius ei Nomen *Cybele* seu Deae turrita Corona ornatae, et Currui duobus Leonibus praeiunctis insidenti tribueretur, ut HELLIUS *in Lite Astronomorum de Nomine* suadet Astronomis.

(6) De his nullum volo relinquere Dubium, ut appareat novum Planetam, convenienter dici *Uraniam*. *Uranus* enim tenet *Coelum* universum, seu Spatium illud immensum, ac infinitum, quod circumdat totum Systema, et Regionem Planetarum. In hac Planetarum Regione proximus est *Urano* Planeta novus, seu *Uraniae* Filia, huic autem Frater *Saturnus*.

(7) Novem fuisse Musas docet *Hesiodus*, *Homerus*, et potior Vetustatis Pars, quas *Sorores* dicunt. Tota Veterum

Ingenio, Formaque pares, non Arte vigebant;
Phoebus eas varia Doctor in Arte regit. (8)
Hi-

terum Theologia Muſicae ſuperſtructa, ad Numerum novem Muſarum facta, ordinataque eſt. Quis apud eos *Orpheo* maior Theologus, et Muſicus? perſuaſum ille ſibi habuit, novem eſſe Sphaeras coeleſtes, concentumque muſicum perpetuo earum Motu fieri: Inde *Lyram* ille ſuam *novichordem* compoſuit, ſingulisque Sphaeris unam e Muſis dedit, et inde Vim in Homines emanare, Naturamque fieri docuit. Diſpoſuit autem hoc Ordine novem Muſas iuxta antiquiſſimum Syſtema planetarium, quod hodie *Ptolomeicum* dicitur, referens Tellurem in Centro quieſcentem, circa quam revolverentur Planetae ordine ſequenti: 1mo Lunae, cuius Sphaerae Praeſes eſſet Muſa *Thalia*. 2. Mercurius Praeſes *Euterpe*. 3. Venus, Praeſes *Erato*. 4. Sol, Praeſes *Melpomene*. 5. Mars, Praeſes *Clio*. 6. Iupiter, Praeſes *Terpſichore*. 7. Saturnus, Praeſes *Polyhymnia*. & Sphaera octava *Coelum Stelliferum*, Praeſes *Uranie*, et totidem dixit Sphaerarum *tonos*. Nonam namque Sphaeram, quae has octo complecteretur, appellat *Calliopen*, quaſi *bonum Concentum*. Ex hoc igitur *Orphei* et Antiquorum Ordine clarum eſt, iam tum *Uraniam* ſupra Saturnum locatam, et Sphaerae octavae Praeſidem conſtituta m fuiſſe; et vel hinc intelligitur, novo Planetae ſupra Saturnum verſanti, Nomen *Uranie* etiam ex Antiquorum Sententia recte tribui. Adeo omnia in Nominis huius Congruentiam conſpirant.

(8) *Phoebum* Magiſtrum fuiſſe Muſarum communis eſt Traditio, unde *Muſicus* et Μουσηγετης, quaſi *Dux Muſarum* cognominatus fuit. De hoc ante alios *Lutatius* in primis communis Hiſtoriae ait *Probus*. Muſarum Studia et Artes

Hiſtoriam CLIO, Geſtum POLYHYMNIA fingit,
CALLIOPE Heroum fortia Facta canit.
MELPOMENE tragica eſt, Comoedia priſca THALIAM
Detinet, EUTERPE Tibia docta placet.
TERPSICHORE Choreas, ERATO ſectatur Amores,
URANIE Coelum et Sidera ſola notat.
Et ſi Fata ſinant, ſi Vota ſecundet Apollo,
Iam nunc ſidereos optat adire Lares:

* * *

Quid magis ad Votum, Deſideriumque Magiſtri
Eſſe poteſt? Coelum et Sidera Phoebus amat.
Phoebus amat! dixiſſe parum eſt, quia Phoebus hic idem
Siderei Princeps, Duxque, Caputque Chori eſt.
Phoebus enim *Titan*, *Hyperion*, *Sol* et *Apollo*,
Sunt diverſa ſono Nomina, Res eadem.
Hoc tantum vere, Gens ingenioſa, Poetae,
Quod Solem et Phoebum conciliare ſciant.
Cetera de ſupero, quae dant, inania dicet,
Quisquis ad Hiſtoricos, Aſtronomosque venit.
Iupiter in Coelis habitat, verſatque Miniſtros (9)
Coeruleasque terit Nocte, dieque Vias.
Sed nec tantus Honor, nec tanta Potentia in illo eſt,
Quanta Poetarum verſibus eſſe ſolet.

Sol

Artes poſt alios ſcriptores recenſet *Callimachus* graecus, et *Auſonius* latinus. In illis dicebantur eſſe omnes ſcientiae. et Artes.

9) Satellites nempe ſuos, quos habet quatuor.

Sol primo in Coelo Deus eſt (10) Deus ille gubernat
Errantesque Globos, aeriasque Plagas,
Et quia Sol, Phoebusque idem eſt, non alter Olimpo
Rector, et aetherea eſt in Regione Deus. (11)
Unde Iovi Fulgor, niſi Phoebus Lumina ſpargat?
Ille Faces Marti, Mercurioque dedit.
Triſtis, et obſcura eſt Veneri Facieſque, Domusque
Si tegat auricomum Phoebus Apollo Caput.
Ille ſuos certa moderatur Lege Planetas,
Et iubet Empyrias ire, redire Plagas.
Ille Anima eſt Mundi: *Archaeum* mihi dicere Fas eſt,
Vivere qui Terrae, Sideribusque dedit.
Ille poteſt mortale genus ſuper Aſtra locare:
Ille Hominum vitam perpetuare poteſt.

* * *

Hoc erat in Votis, multisque ardebat ab Annis
URANIE, et Phoebi ſolicitabat opem.
Phoe-

(10) In Coelo ſcilicet planetario, quod docet alterum Carmen; non autem in illo maximo, quod *Uranus* tenet; ſic etiam *Mundi* nomen, et *Coelum* illud accipiam.

(11) Hoc etiam doçent Nomina: Latini *Solem* dixere, quod ſit *Solus*, ait Varro et Cicero: Graeci Φοιβον, ſeu *purum* ac *ſplendidum*: Plato Απολλωνα cognominatum ſcribit ἀπο τῦ ἀει παλλειν τας ἀκτινας a *Iactu Radiorum* οτι μονος ἐςι, και ἀει πολοι, ſed puto, non eſſe neceſſe, ire per Etymologiam omnium Nominum.

Phoebe Pater! dixit (12) quando mihi denique Coelum,
Quod video multis te tribuiſſe, dabis.
Tu Veneri, et Marti coeleſtia Templa dediſti,
Nulla tuis illi Thura dedere Focis.
Lucet in aetherea, quamvis pallentior, Aula,
Qui ſua Coniugii Pignora Falce metit.
Perſeus in Coelo eſt, Cancer, Delphinus, Orion,
Lynx, Aries, Procyon, Hydra, Columba, Lepus.
Cetera non dicam; ſi dixero, parce Dolori!
Dignane ſunt illo talia Monſtra Loco?
Forte tuas Arces Animalia bruta merentur,
Non Homines, Aris, qui nocuere tuis,
Quando ego non colui? quando tua Numina laeſi?
Sola mihi Coelum Cura, Laborque fuit.

* * *

Talia ſaepe ſuo geminabat verba Magiſiro:
Virgo! Querelarum deſine! Phoebus ait.
Et tandem, euge Animo! nec enim mihi Cura receſſit:
Sum memor: immemorem credere mene potes?
Quod tibi nec Vates, nec Sidera dicere poſſunt (13),
Hoc modo fatidici panditur ore Dei.

Dixit;

(12) *Patrem* appellat eum, qui Magiſter eſt: Verus autem *Uranie* Pater non alius eſt, quam *Uranus*.

(13) Sermo eſt de Aſtrologia iudiciaria, in qua plurimus eſt Manilius per ſuum Aſtronomicon.

Dixit; *Atlantiadem* appellat, qui talia praepes
Perferat ad ſummum Vota, Precesque Patrem (14)
Si Pater admittat, ſi dent ſua Vota Planetae
Octavum in Numerum Nata venire poteſt (15).
URANUS annuerat: Nutum ſenſere Triones,
Agnovitque ſuum Machina tota Deum. (16)
Iam prope Tempus adeſt, quod te ſuper Aſtra citabit,
Vibrabisque tuas, ut vaga Stella, Faces. (17)
Aſpi-

(14) Videlicet: ad *Uranum Uraniae* Patrem.

(15) Scilicet Planetarum, qui vulgo ſeptem hactenus numerabantur cum Luna Planeta ſecundario; nam Planetae primarii reipſa ſex tantum fuere, et novus eſt ſeptimus; ſed nos hic Numerum Planetarum ab Antiquitate hactenus receptum ſequimur. In ſenſu ſtricto, hodie cum nova Planeta numerantur Planetae primarii ſeptem: Secundarii ſeu Satellites Primariorum decem: quinque ſcilicet Saturni, quatuor Iovis, et unus Telluris. *Venerem* Satellite *vero* et *reali* deſtitutam oſtendit *Hellius* in Appendice Ephemeridum Aſtron. Vindobonenſium ad Annum 1766. Ephemerides politicae recentiores ferunt, *Herſchelium* circa novum Planetam vidiſſe duos Satellites; hos tamen eſſe veros Satellites, dum haec ſcribo, non ſatis conſtat.

(16) Quod de ſummo Deorum, Dearumque Rege *Virgilius* Aeneid. X. *Annuit et totum Natu* tremefecit Olympum: ſublimius antea *Homerus* expreſſit Iliad. I. prorſus ad Rem meam.

(17) Vero ſimile eſt, novum Planetam, praeter aliorum Naturam *propria* Luce, uti Fixas nitere. Videantur Ephemerides Aſtron. Vindob. ad Annum 1787. in Appendice.

Aſpice, quo Frater Saturnus in orbe vagatur!
Sic ait, et nitidum claudit Apollo diem.
Illa ſuos Oculos, Speculatoremque Cylindrum
Vertit, et extrema pro Statione locat.
Hic ubi Saturni Regio finitur (Apollo
Subiicit) URANIE ſunt tua Regna, vide!
Finiit et ſubito complevit Lumine Terram:
Nunquam illo maius Lumen in orbe fuit.

* * *

Illa igitur Coeli Metas et Sidera ſignat,
Obſervatque ſui Solis utramque Domum.
Quid Coelum, et toto Laquearia coerula Olympo?
Quid Stellae? et vaga ſint Sidera? noſſe iuvat.
Et modo Stellarum Lapſus, modo computat ortus,
Unde Labor Lunae? quidve Cometa notet?
Circuit Arctophilax, Remis propellitur Argo,
Picta per Arva tumens volvitur Eridanus.
Indiviſa premit Mulier Cythereia Solem;
Sanguineos Mavors flammeus urget Equos.
Cur ego (ait) Domini circum Praetoria Phoebi
Non tero iam liquidas fida Miniſtra Vias?
Heu quanti Errores! quanta Ignorantia verſat,
Obnubitque tuum Terra, meumque Caput!
Quum mihi promiſſis habitare licebit in oris,
Quam multa, o! Superi! quantave Lucra feram. (18)
Quid

(18) Si quod Phoebus erat pollicitus, *Uranie*, obtineret Regionem illam, aut ſi fingamus Aſtronomum ex Tellure

Quid Solium immenſum? et Stellata Palatia Mundi
Et quae ſint Terris abdita Iura? ſcient.

Unde

---

lure in hunc novum Planetam translatum, cum Di meter orbitae *Uraniae* decies octies ſuperet Diametru orbitae annuae Telluris, cumque orbita haec Urani ambiat totum Syſtema Planetarium, nonnulla conſequ retur, quae Aſtronomi ex Tellure definire nequeun *Hellius* ſcire cupidus, quanam Ratione, et Proportio ceteri Planetae, eorumque orbitae Syſtematis noſt Planetarii Aſtronomo in *Uranie* conſtituto *optice* appa rerent, ſubductis Calculis, ſequentia ſe reperiſſe ſcr bit. I. *Solis* Diametrum ex *Urania* ſpectatum non mai rem apparere, quam ſub Angulo 1 Minuti, et 40 Se cund. cum tamen eadem Diameter ex Tellure (du Soli proxima eſt) ſub Angulo 32 Min. et 38 Se ſpectetur. Iam vel inde colligitur, quam debili lu Planeta *Uranie* a Sole colluſtretur, quae certe inſuffi ciens noſcitur, ut *Uraniam* nobis Tericolis ſub exigu Diametro 3 circiter Sec. apparentem, ſub ea Intenſio ne Lucis, qua videtur, viſibilem reddere poſſit, adeo que maxime veroſimile ſit, *Uraniam* Luce, non a Sol accepta, ſed propria gaudere. II. *Tellurem* noſtram e *Urania* ſpectatam non maiorem videri, quam ſub Angu lo 1 Secundi Circuli, adeoque ſpectata ſimul Debilitat Lucis, *Tellurem* ex *Urania* libero oculo vix viſibilem fore; pari modo *Ven.rem*, quae et remotior ab *Ura nia*, et Diametro paulo minore *Telluris* praedita eſt, fore inviſibilem. *Mercurium* multo magis futurum in viſibilem tum Ratione Diſtantiae maioris ab *Urania*, quam ſit Diſtantia *Telluris*, tum ob Diametrum $\frac{1}{3}$ mi norem Diametro *Telluris*: *Martem* denique (et ſi is in Coniunctione inferiore vicinior fiat *Uraniae*, quam *Tellus*) ob Diametrum tamen $\frac{1}{2}$ minorem Diametro

Tel-

Unde Cometarum Motus, Vis, Orbita, Turbae?
Quid Coma ſit? Reditus Tempora quanta? ſcient.
Quod

Telluris, pariter non videndum fore ex *Urania*. Superſunt ergo *Iupiter* et *Saturnus*, quorum prior, dum maxime vicinus ſit *Uraniae*, ſub Angulo 15 Secund. poſterior autem ſub Angulo 20 Sec. paulo minore, quam ex Tellure, viſibiles forent; ſed hae Cauſſae Inviſibilitatis ſpectant tantum Vim et Aciem Oculorum, quibus nos Terricolae praediti ſumus: quid ſi oculi Incolarum *Uraniae* iis gaudent Proprietatibus, ut obiecta centies et auctiora et lucidiora exhibeant? tum certe non ſolum planetae, ſed et Satellites *Iovis*, et cumprimis *Saturni* diſtincte videri poterunt. III. Diametri orbitarum Planetarum (ſi illi in media Diſtantia accipiantur) ex *Urania* ſub ſequentibus Angulis ſpectarentur. Diameter orbitae *Mercurii* ſub Angulo 2 Grad. 20 Min. *Veneris* 4 Grad. 22 Min. *Telluris* 6 Grad. *Martis* 9 Grad. 10 Min. *Iovis* 30 Grad. 38 Min. *Saturni* 53 Grad. 20 Min. Cel. *Bodius* in ſuo opuſculo, von dem neu entdeckten Planeten hanc quoque Cauſſam Inviſibilitatis Planetarum *Mercurii*, *Veneris*, *Telluris* et *Martis* ex *Urania* ſpectatorum addit, quod in ſuis maximis Digreſſionibus a Sole ob Solis vicinitatem per Radios Solis inviſibiles reddantur, eo quod *Mercurius* a Sole digrediatur ſolum 1 Grad. *Venus* 2 Grad. *Terra* 3 Grad. *Mars* 5 Grad. circiter; at haec Inviſibilitatis cauſſa, quae tantum in noſtra Tellure Locum habet, in *Urania* Ratione caret, quia Lux Solis ſub Diametro 1 Min. et 40 Sec. apparentis, admodum debilis, Lucem Planetarum extinguere non valeret, modo Diametri Planetarum ex *Urania* ſub maioribus Angu-

Quod Spatium Solem, et ſublimia ſeparet Aſtra,
Quanta Parallaxis ſit tua Phoebe? dabo,
Sic

gulis, quam illis, quos ſupra vidimus, ſpectarentur. Emolumenta autem praecipua, quae *Uranie* in novo Planeta reſidens conſequeretur, haec potiſſimum forent. I. Cometarum Vias, Motus, Figuras, Reditus, Proprietates, Naturas in tanta eorum Vicinitate, multo certius, quam ex Parnaſſo terreſtri liceret definire, determinare, deſcribere. Imo Cometarum Numerum, hactenus cognitorum, poſſet in Catalogo augere Cometis illis, qui ex Tellure, ſeu propter nimiam Diſtantiam, ſeu propter diurnos Solis Radios ſunt inviſibiles. II. Cum Diameter orbitae novi Planetae Diametrum orbitae Telluris Motus annui ſuperet octies decies, ex hoc novo Planeta *Parallaxis Solis* Reſpectu Fixarum, hoc eſt, Diſtantia Solis a fixis, ſaltem a *Sirio*, qui noſtro Soli proximus putatur, facilius definiretur, in quam Diſtantiam Aſtronomi per Diametrum orbitae annuae Telluris Conatu adhuc omnino fruſtraneo inquiſierunt. — Haec Emolumenta conſequeretur *Uranie*, ſi eius organum Viſus ſimile noſtro ſupponamus; quid ſi autem ſit longe perfectius? — Quid ſi oculi Incolarum *Uraniae* ſimili gaudeant Vi et Acie (tum cauſſa organi Viſus, tum cauſſa lucis proportionatae, tum cauſſa Atmoſphaerae puriſſimae &c.) obiecta remotiſſima repraeſentandi, quam habeut Tubi *Herſcheliani* primae ſaltem Inventionis? quis autem audebit negare Creatori Potentiam creaturas eiusmodi oculis inſtructas procreandi? Quaenam autem Emolumenta Aſtronomica conſequeretur Aſtronomus eiusmodi oculis inſtructus in *Uranie* Planeta Stationem habens, haec Aſtronomis cogitanda, et meditanda relinquo.

Sic illa ad ſuperos ſuſpirat abire Penates,
Nullaque prae Coelo non oneroſa Mora eſt.

* * *

Parva mora eſt mea Muſa! venit *Cyllenius*: ille
Iam venit, et Phoebo talia Verba refert:
URANUS URANIAM *coeleſtia ſcandere Regna*
Iuſſit, et aeterni ſumere Iura Throni. (19)

(19). HELLIUS, qui Regna coeleſtia multo propius, quam ego, inſpexit, imo quae ille incolit, ego duntaxat eminus aſpicio, haec fuiſſe Verba *Mercurii* ad *Phoebum* ſeu *Apollinem* teſtis eſt, quae ego fideliter reddo: *Audi*:

Uranus Uraniam coeleſtia ſumere Sceptra
Iuſſit, et aethereum ſcandere Iure Thronum.
Iuſſit, et aethereum Munus habere novum. (1)
Iuſſit, et aethereum Corpus adire vagum. (2)
Iuſſit, et aethereum Voce notare Locum. (3)
Iuſſit, et aethereum Lege movere Globum. (4)
Iuſſit, et aethereum Luce beare Polum. (5)
Iuſſit, et aethereum conciliare Sonum. (6)
Iuſſit, et aethereum Pace tenere Forum. (7)
Iuſſit, et aethereum condecorare Chorum. (8)

Iubet nempe *Uranus*, Filiam ſuam *Uraniam*, Aſtronomiae in Monte Parnaſſo deditam inter Deos, Deasque Planetarias referri, eique (1) Thronum et novum Munus coeleſte tradi: vult etiam (2) ut Corpus, ſeu Planetam novum adeat, eumque (3) ſuo Nomine *Uraniae* inſigniat; Lege (4) Kepleriana et Neutoniana, omnibus Planetis communi, ſuis novum Planetam in mo-

Vertitur interea Coelum: Sol Signa peregit
Annua, Concilium poſcit et Aſtra vocat.
Con-

motibus contineat. Luce (5) veroſimiliter *propria* Partem ſupremam Syſtematis Planetarii colluſtret. Muſicam (6) Planetarum ſeu Harmoniam a *Pythagora*, *Platone*, *Ciceronе*, *Keplero* et receutioribus Aſtronomis agnitam, et demonſtratam compleat: uti reipſa complet, cum Diſtantia eius a Sole ſit ad Diſtantiam Saturni a Sole ut 2. : 1. ſeu dupla, quae ratio *Soni* eſt, qui in Muſica vocatur *octava*, ſeu Diapaſon. Vult (7) ut Perturbationes Planetarum, ex Legibus Attractionis ortas, ſuo Corpore, et motu *Regulares* et Pacificas reddat; denique vult, (8) ut Chorum Planetarium Dotibus ſuis, caſtae Virgini propriis condecoret &c. &c. ita *Hellius*.

Paucis valde multa hic dicta ſunt. Unum porro continuare eſt mihi multo iucundiſſimum. Non eſt vana Veterum ſententia: *Muſicam* quamdam ſeu *Harmoniam*, et *Concentum* eſſe inter Planetas, ac inde *Muſicam* ad Terras deſcendiſſe, priusque, quam inter Homines *Rythmus* ac *Poeſis* obtinuit, fuiſſe. *Pythagoras*, atque eum ſecuti (ait Quintil. Lib. I. Cap. 8.) acceptam ſine Dubio antiquitus Opinionem vulgaverunt: Mundum ipſum ea Ratione eſſe compoſitum, quem poſtea Lyra ſit imitata. „ Quid hic (inquit Scipio apud Ciceronem in ſuo ſomnio) quis eſt, qui complet Aures meas tantus, et tam dulcis ſonus? hic eſt (reſpondet Africanus) qui Intervallis coniunctus imparibus, ſed tamen pro rata portione diſtinctis, impulſu, et motu ipſorum orbium conficitur, qui acuta cum gravibus temperans varios aequaliter Concentus efficit. Nec enim ſilentio tanti motus incitari poſſunt, et Natura

fert,

Convenere citi, quotquot potuere, Planetae
Defuit ex illo Terra vocata Choro. (20)
Hic Sol URANIAM decernit ad Aſtra ferendam,
Et Regio, quae ſit circumeunda, docet.
Rara Planetarum Coniunctio! mira Voluntas!
Cui ſimilis (dicant Seçula) nulla fuit.
Adſenſere ſuo praeſentia Sidera Phoebo;
Una eſt Saturni vox inimica: *vetat.*

fert, ut extrema ex altera Parte *graviter*, ex altera autem *acute* ſonent &c. " Ideo *Plato* in Republica ſua (Lib. X.) cum de Sphaerarum coeleſtium volubilitate tractaret, ſingulas ait *Sirenes* ſingulis orbibus inſidere, docetque Sphaerarum motu Cantum Numinibus exhiberi. eſt autem *Siren* apud Graecos *Dea canens*, quas alio Nomine *Muſas*, ſive *Comoenas*, *Canenas* a canendo dicimus; ita *Macrobius*. Theologi quoque novem *Muſas* octo Sphaerarum *Muſicos* Cantus, et unam pro *Concentu*, qui conſit ex omnibus eſſe voluere (*recolatur Nota* (9) *ſupra expoſita*). Unde *Heſiodus* in Theogonia ſua *Octavam* Muſam *Uraniam* vocat, quia poſt ſeptem vagas Sphaera *Stellifera* ſuperpoſita eſt. Dux et Princeps orbium eſt Sol, ut ipſe Cicero refert, et Moderator Luminum reliquorum, Mens Mundi, et Temperatio. Noſtri Aſtronomi de hoc Muſico Planetarum concentu non dubitant: Ego, quod *Uranie*, ſeu novus Planeta perfecte compleat illam Harmoniam coeleſtem, prorſus certum habeo.

(20) Non eſt ſine Cauſſis peculiaribus, quod Tellus ad hoc Concilium invitata, et illo etiam Iure, quod aliis Planetis convenit, inſtructa non comparuerit, ſed haec relinquuntur cogitantibus.

Nempe mihi ſummum modo Femina tollat Honorem?
Grandaevumque habeat ſub pede Virgo Caput. (21)
Fruſtra igitur Comites, et fruſtra ſit Annulus ille,
Quem mihi non aliis Solque, Paterque dedit (22)
Heu quantas dabit illa Vices, parietque Tumultus? (23)
Inquit; et eſt aliquis, qui ſua Damna velit?
Inde

(21) Saturnus inter Planetas, ut notum eſt, in Syſtemate Planetario, ſupremum hucusque Locum obtinebat; nunc ſi Femina Viro (et ſi Soror ſit) praeferatur, quae ſuo Ambitu grandaevum coerceat, et continuo quaſi Calce premat, Dignitatem, Honoremque ſuum perdi dolet, et indignatur.

(22) Significat ea de Cauſſa ſe quinque Satellitibus eſſe ſtipatum, et mirabili illo Annulo, qui nulli Planetarum eſt conceſſus, per ſpeciale Privilegium ornatum, ut extremas Syſtematis Planetarii Regiones non tantum cum Dignitate poſſideat, ſed etiam viribus et Potentia contra Incurſus Hoſtium (Cometarum ſcilicet) tueatur. Quid hic, et ultra Virgo ſola et imbecillis?

(23) Ingentes nimirum Turbas dabit in Coelo formoſa Virgo, ſi in extimis Planetarum Regionibus ſola conſtituatur, et Procis innumeris ſub variis *Cometarum* Formis ultra noſtrum Syſtema vagantibus exponatur; Verendum eſt, ne Cometae, Virginis elegantia incitati non ſolum *Uraniam* imbecillem ambiant, impetantque, ſed in Coelum etiam Planetarium maiori Numero incurrant: meminiſſet Phoebus, quanta iam Mala Cometae fecerint? Nonnulli enim eo Audaciae ſunt progreſſi,

Inde Satellitium, quo cingitur? urget in Iras
Sollicitatque Iovem, ſidereosque Deos.
Nulla fuit toto Turbatio maior Olympo,
Saepe licet Bellum Sidera laeſa gerant.

* * *

Ecce autem Interpres Divum, de Monte bicorni
URANIAM laetus Sidera ad alta vocat.
Atque ubi Saturni magnus concluditur Orbis,
Hic illi ſummum nunciat eſſe Locum.
Quidquid erat mortale, Deus caducifer arcet.
Optima pars tantum reſtitit: illa DEA eſt.
Sextantem in Terris, tua Munera Phoebe, reliquit,
Quo nihil in Terris charius eſſe poteſt. (24)

greſſi, ut contemtis noſtris Viribus, Regiones Planetarum incurſaverint, et ad intimam Solis Regiam, propriumque Cubile pertingere conati ſint &c. &c. *Hic eſt Campus, in quo poſſunt Poetae, Aſtronomiae gnari, ſuis Cogitationibus exſpatiari.*

(24) Inſtrumento Aſtronomico, Partem ſextam Circuli complectente, quod *Sextantem* dicunt Aſtronomi, olim *Apollo* donavit *Uraniam* in Parnaſſo coeleſtia dimetientem. Hunc ſubinde *Phoebus* (*Urano* ſic iubente) inter Aſtra retulit, Mortalibusque incognitus fuit usque ad Tempora Cel. *Hevelii* Aſtronomi Dantiſcani, a quo circa Annum 1670, dum Catalogum Fixarum conderet, primum inter *Leonem* et *Hydram* repertus et obſervatus, atque ſubinde Aeri inter ceteras Conſtellationes inciſus cum Aſtronomis ſub Nomine *Sextans Uraniae*, communicatus eſt.

Hunc tamen ante ſuis fulgentem vidimus Aſtris,
Quam potuit Faciem prodere Diva ſuam.
Dixit: Io! Plauſumque dedit Parnaſſia Turba,
Félix URANIE! perge! capeſſe Polum!
Utque facit Phoebus, Coelum, Pindumque tuere.
Muſa colat Terras, Sidera *Diva* regat. (25)
Virga viam pandit, Nubes Talaria vincunt:
Illa ſibi Numen ſentit ineſſe, volat.
Phoebus ei Vires tribuit, traxitque volentem,
Aethra ſuis Humeris, Remigioque iuvat.
Quid memorem laetos toto ſuper Axe Triumphos?
Accendit Radios Phoebus ubique ſuos.
In Choreas, Gyrosque novos abiere Planetae,
Non manſere ſuo Sidera fixa Loco.
Inſolitam ſpargunt coeleſtia Corpora Lucem,
Laetanturque ſuas purius ire Faces.

An-

(25) *Uranie* dum Coelos aſcendit, Muſarum Chorum et Parnaſſum nequaquam deſeruit. In Coelo eſt *Planeta*, in Parnaſſo *Muſa*: talia Exempla ſunt multa in Hiſtoria Deorum; ita Phoebus ipſe in Parnaſſo eſt *Apollo*, in Coelo Sol. — *Diana* in Coelo *Luna*: in Tellure *Montium Cuſtos*, *Nemorumque Virgo*, ut canit Horatius L. 3. quin eadem Dea dicitur *Hecate* ſeu *Proſerpina* apud Inferos iuxta illud Demſteri: *Terret*, *luſtrat*, *agit*: *Proſerpina*, *Luna*, *Diana*: *Ima*, *Suprema*, *Feras*: *Sceptro*, *Fulgore*, *Sagitta*, et ita de aliis Diis, Deabusque Coelum, Terram; et inferos incolentibus Mythologia docet.

Accelerant Gemini, *Pollux* cum *Caſtore* Fratres,
Vicinaeque ſuae candida Vota ferunt. (26)
Andromede, niſi vincta foret, ſua Gaudia ferret,
Baſia, et Amplexum laeta, frequensque daret,
Aeſtuat *Alcides* conſpecta Virgine; at illa:
Non *Iole*, non ſum *Deianira*, refert. (27)

* * *

Sed dolet, et multas ſurgit Saturnus in iras,
Germanaeque parat triſtia Bella ſuae.
Saturni Mores, Mentemque, Animumque ſuperbum,
Invidia et Feritas, Barbariesque tenet.
Arma Satellitibus, nunquam tractata, miniſtrat,
Saevit, et in Pugnam Curia tota fremit.
Sidera, ſi poſſent concurrere, cuncta iuberet,
Armaretque duos in fera Bella Polos.
Fruſtra petit rigidi fatalia Spicula Martis:
Iupiter oranti Tela triſulca negat.
Sed ſatis ad Bellum Saturnia Turba gerendum eſt;
Arma, Animos, Vires, Duxque, Cohorsque gerit.

(26) Novus iſte Planeta ab *Herſchelio* detectus eſt prope Conſtellationem Geminorum, et quidem inter Pedes eorum et Cornua Tauri, ubi die 13. et ſequentibus Martii 1781 verſabatur.

(27) Anachronismum ille mihi obiiciat, qui dicere audet, ſe noſſe certam Mythologiae ſeriem, Conſenſum, et Rerum omnium in ea narratarum Chronologiam. Mythologia nec ſibi conſtat, nec ſemper cohaeret. Ideo ego Hiſtoriam inſtitui dare.

* * *

Quid faciat Virgo? quas se convertat in Oras?
Hostem habet in solis sola relicta Plagis.
Optat in extremos fugitiva facessere Coelos,
Quamlibet extremis sit Draco, et Ursa Polis.
In Cursu, Latebrisque Salus, curritque, latetque,
Et cohibet Radios victa Timore suos.
Credibile est, texisse Caput Ferrugine tristi,
Utque Hyadum Mos est, immaduisse Genis.
Saepe illam Oebalii, fidissima Sidera, Fratres,
Saepe suis Facibus Libra, Caperque tegunt.
Explicat Erigone Stellis pendentibus Alas,
Herculeus Flammas spargit ab ore Leo.
Oppossuit Taurus sua Cornua, Spicula Chiron,
Et quae sidereus Brachia Cancer habet.
Maxima candenti Fiducia restat in Orbe,
Hic latet, et Latebras plurima Stella facit. (28)
Hanc unam a Stellis potuit sperare Salutem,
Fixa putabatur Stella, Planeta fuit. (29)

Quis

(28) Astronomi nominant *Viam Lacteam*, de qua Manilius Astronomicon Lib. I.

— — — Lacteus Orbis
Dicitur et Nomen Caussa descendit ab ipsa.
An maior densa Stellarum Turba Corona
Contexit Flammas, et crasso Lumine candet,
Et Fulgore nitet collato clarior orbis?

(29) Semper erat Planeta, sed quia motus eius valde lentus est, et Lucem habet Fixis similem; Magnitudine autem ea est, quae Stellas sextae vel septimae Classi non excedit, iis de caussis putabatur Fixa.

* * *

Quis tandem e Latebris extremi a Margine Coeli
Protrahet? aut quando ſe Senis Ira dabit?
SEXTANTEM URANIAE non uno Sidere clarum
Terrigenae in Coelis, Coelicolaeque vident.
At vetus URANIE ſuperetne, vel occubet Umbris?
Res eſt Aſtronomis abdita, ſcire Nefas.
Scire Nefas, an Dii, vel Secula plura domare
Falcigeri poſſint ferrea Corda Senis?
Sed domita eſt tandem Feritas annoſa, licetque
URANIAE Curſu liberiore frui.
Quam nec Dii poterant, nec tot iam Secula Pacem,
Et Lucem URANIAE reddidit HERSCHELIUS. (30)
Quae

(30) *Guillielmus Herſchelius* Patria Hannoveranus, primum Miles, deinde Muſicus, cum in Anglia novae occupationis cauſſa Teleſcopiis Newtonianis conficiendis operam daret, Rem et Patientia et Dexteritate eo perduxit, ut Spem ſuam ſuperaret. Cum enim antea ex Officinis vix unquam Inſtrumentum prodiret, quod obiecta ultra 400 ampliffi caret, ille ultra progeſſus eiusmodi Teleſcopia compoſuit, quae 1000 et 2000 augerent. In Transactionibus Philoſ. Anglic. ad Annum 1782. Mentio fit de Augmento 6000, cuius Calculum pro Teleſcopio Newtoniano ſeptem Pedum ſubiicit. Incredibilem hanc Perfectionem iam modo ad gradum multo maiorem perduxit; ut enim in Transactionibus noviſſimis legitur, confecit Tubos, qui decies aut duodecies millies augerent obiecta coeleſtia. Dum haec ſcribo, Fama fert *Herſchelium* laborare in Tubo conficiendo, cuius ſpeculum maius haberet Diametrum 4.

Re-

Ille dedit nobis Oculos, et Sidera, quo ſint
Aſtronomis iam nunc proximiora, facit.
Is quoque, quae quondam perierunt, Aſtra reducet,
Et nova, quae nunquam viſa fuere, dabit.
Fallor, an Excubias nacta eſt, fortaſſe Satelles
Errat, et Excubias unus et alter agit. (31)
Invideatne aliis? vel Bella timendo laboret?
Forte etiam propria Luce nitere poteſt. (32)

* * *

Nomen adhuc deerat; ſed Nomen prodidit idem,
Qui dedit URANIAE lucida Regna Deus.
Regia Solis habet Faſtos Hominumque, Deumque:
Regia mortali non adeunda Pede.

Noſco

Pedum, Longitudo Foci Pedes 40; quae hac ſtupenda Machina in Coelo detecturus ſit, omnem omnino exſpectationem ſuperabunt, ſpemque faciunt, Aſtronomiam paucis poſt annis ad ſummum Perfectionis Apicem evehendam. Iam nunc ab *Herſchelio* ſupra trecentas Stellas *nebuloſas* novas, teleſcopicas autem ſupra quatuor millia per alios Tubos fere inviſibiles detectas habemus, et quod ſtupendum, Stellas *primae*, *ſecundae*, et *tertiae* Magnitudinis, quae *ſimplices* per Tubos ordinarios apparent, ille ſuis Tubis has e duabus, tribusve Fixis *optice* compoſitas conſpicit.

(31) De duobus eius Satellitibus (Eunuchos ab *Urano* Patre vel *Phoebo* Magiſtro datos Virgini *Uraniae*, aut ſponte aſſumtos dicet aliquis) nuper ab *Herſchelio* detectis Famam fecerunt Ephemerides politicae. An autem ſunt reapſe Satellites *Uraniae*?

(32) Veroſimile eſſe Planetam hunc novum *propria* Luce fulgere, faciunt Argumenta in Appendice Ephem. Aſtron. Vindob. ad Annum 1787 ab *Hellio* relata.

Noſco novam, veteremque Deam, Nomenque recordor;
Aut hoc, aut nullum Nomen habere cupit.
HELLIUS hoc Nomen de Coelo accepit, (33) et illam
Hiſtoriae Signo conveniente notat. (34)
Aptius

(33) Poſtquam depoſita Cometae Idea, quae plus Anno Aſtronomos, Geometrasque vexabat, ſidus hoc novum agnitum eſt, et pro vero Planeta declaratum, de apto etiam Nomine, et Signo huic Planetae tribuendo cogitatum eſt. *Herſchelius* Beneficiorum a Rege Angliae acceptorum memor, et quod Sidus hoc in Angliae urbecula *Bathe*, ſeu *Aquis Solis* ab ipſo detectum ſit, Planetam appellavit *Sidus Georgium*. Gallorum alii cum *Cel. de la Lande* Nomen ei tribuunt *Herſchel*, Inventoris ſcilicet: Alii cum *D. Poinſinet*: *Cybele*; Sueciae Aſtronomus *D. Proſperin* dici vult *Neptunum*; *Cel. Bodius* Boruſſiae Aſtronomus *Uranum*; *Hellius* Univerſitatis Vindobonenſis Aſtronomus Caeſ. Regius, *Uraniam*. Vide *Litem Aſtronomorum de Nomine* in Appendice Ephem. Aſtron. Vindob. ad Annum 1787. Ego Litem non ingredior, certum enim eſt mihi, Planetam novum eſſe *Uraniam*, id eſt, *coeleſtem*; ideo nunquam compellabitur a me alio Nomine. Ceterum Argumenta *Hellii* ſola *Authoritas* (ſi ea inter Aſtronomos Locum habere poſſet) opprimere, non autem *Ratio* evertere poterit. Quodnam autem Nomen ex recenſitis *reipſa* apud poſteros conſecuturus eſt Novus Planeta? *Uſus communis* aut *omnium*, aut *potiorum* Aſtronomorum, imo et Poetarum, atque Pictorum definiet.

(34) Notum eſt, omnibus Planetis ſuum eſſe Signum, quod ſeu *Characterem*, ſeu *Hieroglyphum*, ſeu alio Titulo latino, aut Graeco dicas, idem eſt. Iam etiam novus

Aptius hoc Signo nihil eſt, nil certius illo
Nomine: nil iſta verius Hiſtoria.
Iam ſalve URANIE! et ſi te mortalia tangunt
Vota, mihi poſthac, Aſtronomisque fave!

IX.

novus Planeta Signo quodam aſtronomico notandus erat. Signum apud Gallos, quod in ſuis Ephem. Aſtron. *Connoiſſance des Tems* produxerunt, eſt littera H, cui inferne Circellus appenditur, Prima ſcilicet Littera Nominis *Herſchel* cum Circello, Signo ceteris Planetis communi. Hieroglyphon a Cel. *Bode* Aſtronomo Berolinenſi in ſuis Ephem. Aſtron. adoptatum, eſt Signum *Martis* ſitu erecto, et Puncto, quaſi Centro Circuli notatum. *Hellius* optime, ex Natura et Hiſtoria, Fatisque novi huius Sideris, et Nomini *Uranie* ab ipſo tributi, convenientiſſimum proponit in ſuis Ephem. Aſtron. ad Annum 1787. Circellum *Stella* ſignatum, et ſignificat: hoc Aſtrum, quod modo compertum eſt, et eſſe *Planetam*, et fuiſſe aliquando inter Stellas fixas a *Flamſteedio* ſcilicet et *Mayero* numeratum. Nota *Stellae* hoc etiam Nomine novo Planetae congruit, quod putetur ſuo Lumine *proprio* lucere, eſtque praeterea *Stella* Signum *Uraniae* Muſae *proprium*, quae Stella in *Fronte*, aut *pectore* ſignata eſt, et Paludamento *Stellis* ornato, Manu Sphaeram coeleſtem, id eſt *Stelliferam* geſtans pingitur. Cel. *Bodii* Signum, eſt ſine Cauſſa et Significatione aſtronomica. Chemici ad ſua Metalla, quae olim ſeptem habuerunt, hoc autem Seculo circa Annum 1750 octavum etiam *Platinam* dictum, repererunt, deſignanda, Characteres acceperunt ab Aſtronomis, et ſicut iſti Solem, Lunam, aliosque Planetas, ita illi habita Metalli Ratione et Analogia ad Planetam ſua Metalla notaverunt. *Cel. Bode*

IX.

STANISLAUS KOSTKA

Vienna clam fugit Romam, ut Votorum obtineat metam.

Nox erat, et tacitis Phoebe ſuper aethera bigis
Vecta Soporiferas lente ducebat habenas.
Haec mihi, KOSTKA inquit, *nox eſt ſuprema Viennae.*
Nec mora; pannoſum Puer ingenioſus amictum
Induitur, geſtitque nova ſub veſte latere;
Et duplices tendens ad conſcia Sidera palmas,
Nunc age! Magne Deus! noſtris nunc annue coeptis,
Ignotas oſtende vias, et pectora firma!
Sic ait, et leni per nota cubilia paſſu
Egreditur, ſuperatque tuos Urbs inclyta muros
Antea,

Bode (*More contrario*) *Koehleri* Chemici excogitatum Signum pro *Platina*, ad novum Planetam, quem *Uranum* appellat, tranſtulit; quod tamen Signum ne *Platinae* quidem convenire noſcitur: videtur enim exiſtimare *Koehlerus* Platinam eſſe Metallum ex Auro et Ferro conflatum, cum tamen ipſa *Platina* (teſtante Illuſtriſſimo Comite *Sikingenio* Chemicorum Germaniae Principe) diſtinctum ſit omnino a ceteris omnibus Metallum, quod tamen *Hieroglyphon Koehleri* ex ☉ et ♂ compoſitum deſignat. *Hellius* longe optime *octavum* et novum Metallum *Platinam* notandum proponit Signo *Uraniae* octavi et novi Planetae Proprietatibus cum *Platina* congruis, et analogis; uti legere eſt in Appendice Ephem. Aſtron. Vindob. ad Annum 1787.

Antea, quam mediam nox contigit humida metam.
Illum excedentem taciti flevere Penates,
Et niſi pacta fides Planctus prohiberet, euntem
Planctibus, et ſtrepero revocarent cardine Portae.

Ventum erat in coecas, qua nulla eſt ſemita, Silvas,
Ut Labyrinthea fugiens ambage propinquos
Exploratores tuta deluderet arte
Seque importuna Fratris ſalvaret ab ira;
Frater erat PAULUS. (1) Quis tunc, quae traxerit imo,
Carminibus memorare poteſt, ſuſpiria corde,
Quum denſas inter fagos, et robora opaca
Solus oberraret? quis flammea verba, precesque
In numerum revocet, quibus aſtra intenta, polumque
Koſtka fatigavit? Fixum eſt; iuvat ire, ſinusque,
Arcanasque Vias Lacrimarum rore notare.
Siſte gradum! magis atra venit, magis horrida nox eſt,
Dif-

(1) Hanc fugam *Stanislaus Koſtka* Viennae Auſtriae Romam iniit ex aedibus Hoſpitis diverſam ab eo Religionem profitentis, in quibus a Fratre *Paulo* duri et licentioſi ingenii adoleſcente ad liberiorem vitam omni aſperitatum genere incitatus, bellum domeſticum toto biennio conſtantiſſime ſuſtinuit. Cum autem aditum ad *Societatem Ieſu*, ad quam ſuſcipiendus aſpirabat, in Germania timor Patris praecluderet, Peregrini habitu Solus, pedes, et mendicus fugam arripuit Romam ad *D. Franciſcum Borgiam tum S. I. univerſae Generalem Praepoſitum.*

Diffugere faces Coeli, Ditisque profundi
Pallida Regna ſuas nunc effudere tenebras.
Sic ego; ſed fruſtra: Mediis Puer unus in umbris
Incompertorum nemorum, ſaevisque ferarum
Luſtris quid faciet? quo greſſum, et lumina vertet?
Deponathe ſuum, et quali ſub tegmine corpus,
Et Somnum accipiat laſſus? Lethalis in herba
Saepe latens anguis, lateque ululata Spelaea;
Nocturnaeque ferae, et triſtiſſima Noctis imago
Cor movet, et trepida Puerum formidine complet.
Ergo oculos, quantum tenebrae patiuntur, et aures
Nunc huc, nunc illuc verſat, ſi forte quibusdam
Lux veniat ſecura caſis, vel ſilva latratu
Perſonet optato. Sed nil niſi ſaxa per umbram,
Et denſae occurrunt Silvae, cumulantque timorem.

Iamque erat, ut feſſus noctis, feſſusque viarum
Graminea, qua forte ſtetit, proſterneret artus
In tellure, brevi preſſurus lumina Somno,
Si tamen admittat Somnum cura anxia. Tandem
Vicino de colle videt ſplendeſcere lucem.
Hanc ubi ſuſpexit: Quonam (Deus optime) facto,
Et quando potui meruiſſe, aiebat, ut atras
Hic inter tenebras, et caeca pericula noctis
Hanc de monte mihi lucem ſuccenderet aether?
Aut hos, aut ſimiles dum volvit pectore motus,
Ad montem, quo flamma vocat, veſtigia vertit
Ignarus fraudum, veluti iactatus in alto
Navita, qui pharium tenebris radiare pyraeon
Si videat, mentem, labefactaque carbaſa torquet
Ad partem, quae lumen habet, portuque laborat
Iactatam ſalvare ratem; ſed ſitne vocanti

Credendum flammae, vel forsitan hostica terra est?
Quaerere non meminit.
Postquam per opaca ferarum
Tesqua Puer claram saxo conspexit ab alto
Scintillare pharon, vires, animumque capessit,
Et properat; certum est, illa requiescere sede.
Iamque aderat.. Videt elatam prope sidera molem,
Augustas aedes, pariis suffulta columnis
Atria, marmoreos centum longo ordine postes,
Multaque, quae laetam spargunt funalia lucem.
Intus formosi Iuvenes, cultaeque Puellae,
Et Charitum festiva cohors, Venerisque Sodales,
Festa, Iocumque fovent, et gaudia mille frequentant.
Argutae voces, numeri, citharaeque, fidesque,
Concentusque novi, et molles ad plectra choreae.
Obstupuit, retroque pedem Puer inde repressit.

At Regina, loco quae praesidet una, Voluptas (2)
Os, habitumque Deae similis (nam plurima in illa est
Ma-

(2) Haec est illa Graecorum Ἡδονη, Latinis *Voluptas*, de qua Prodicus etiam Philosophus antiquus in libro, quem scripsit de Hercule. Dicitur enim (ut est apud Xenophontem et Philostratum) Hercules cum primum pubescceret, quod tempus a natura ad deligendum, quam quisque viam vivendi sit ingressurus, datum est, exisse in solitudinem, atque ibi diu secum multumque dubitasse cum duas cerneret vias, unam *Voluptatis*, alteram *Virtutis*, utram ingredi melius esset? Cicero Lib. I. de Off. n. 33.

Maieſtas, et amor) quum primum KOSTKA paratum
Venit in hoſpitium, mentemque, oculosque tenebat
In Puero, coepitque ſua blanditiei arte,
Ut quascunque poteſt in Cor diffundere flammas.
Quis Deus in noſtras te STANISLAE coegit
Pre domos? inquit; neque enim ſine numine Divum,
Auſpiciove Dei te noſtra palatia noctu
Acceſſiſſe reor. Salve dulciſſime KOSTKA,
Salve! ades O Lechicae flos intemerate Iuventae,
Ergo ades! — Amplexum dat, et in penetralia ducit.

Adparet nova forma domus; nam ſtrata viarum,
Et bifores portae, et paries, et quidquid in illa eſt,
Auroque, argentoque nitet, flammasque pyropi,
Et radios adamantis habet; ſunt aurea muris
Tragula, et auratis fulgent laquearia tophis.
Adpoſitae menſis epulae, gemmataque vini
Pocula, regalem ad luxum, et convivia laeta
KOSTKAM invitabant. Pueri, innuptaeque Puellae,
Et Veneres hilari menſas cinxere corona;
Arte laboratae radiant in corpore veſtes,
Veſtaque odoratis nectuntur tempora ſertis.

Talia quum Iuvenis verſat ſpectacula, neſcit
Quid faciat? quae verba ferat? maneatne, vel ultro
Proripiat ſeſe? — Sed quid tibi vilis amictus?
Illa iterum; et Solus? metuo ne caeca voluntas
Te Puerum in fraudes, et certa pericula ducat.
Quem fugis infelix KOSTKA? aut quibus exul in oris
Enervare paras teneros improvidus annos?
Nonne vides, quae nos agitemus gaudia? neſcis
Heu miſerande Puer! neſcis quae damna ſequare.

Si ſapis, hic remane, et vives. Hic certa voluptas,
Hic ſunt divitiae, et verus paradiſus. Honores,
Fortunasque tibi deſpondeo. — Plura parabat
Illa loqui; ſed KOSTKA: Heu me! pleno ore, perimus,
Exclamat; noſco ſpecioſa pericula, noſco
Inſidias. Ubi ſum? vel quo? — Sic ergo monentem
KOSTKA fugis? Regina refert; hanc denique noctem
Hoc ſuper inſtratus lecto, blandisque amaranthis
Exige; parva mora eſt. Fugit ille, et Sidera moeſtus
Suſpiciens, Fer opem Deus, et me, ait, eripe tectis!

Vix ea dixit; et ecce! omnis vaneſcit in auras
Regia, divitiae, flores, menſaeque, thorique,
Barbitaque, et citharae, et mendacis tecta Theatri
Cum Pueris, Venerisque cohorte fuere, ſed haud ſunt.
Obſtupuit viſu Iuvenis, gelidusque cucurrit
Ima per oſſa cruor; ſed poſtquam frigida tandem
Pectore de timido cura et formido receſſit,
Adſpicit, et quantum nigrae ludibria noctis
Obſervare ſinunt oculos, ſe Vallis amoenae
Obſcuro in gremio ſuper exuperantibus herbis
Repperit. Hic Coelo grates perſolvit, et alto
Lenta fatigatus committit corpora Somno.

X.

De Fortuna.

(b)

rtunam inclamant Homines; convicia, laudes, rſonam, et titulos hic, et ubique lego (1).

'um Auctor legeret Librum III. Lactantii n. 28. et erupit in haec Carmina.

'oto quippe mundo (Plinius loquitur Lib II. Hiſt. . Cap. 5.) et locis omnibus, omnibusque horis nium vocibus *Fortuna* ſola invocatur, una nomina-, una accuſatur, una agitur rea, una cogitatur, ſola latur, ſola arguitur, et cum conviciis colitur. Vo-lis, a plerisque vero et caeca etiam exiſtimata; a, inconſtans, incerta, varia, indignorumque fau-. Huic omnia feruntur accepta, et in tota ratione talium ſola utramque paginam facit; Adeoque ob-iae ſumus ſortis, ut Sors ipſa pro Deo ſit, qua is probatur incertus. —— Ex toto illo capite elucet entia Plinii. —— De perſona Fortunae, forma, et gie dicam paullo inferius. De titulis ſic habeto: tuna dicitur dubia, brevis, mammoſa, aurea, ma-a, equeſtris, bona, mala, et aliis praeterea nomi-is adficitur. Mirandum eſt certe ſingulis iſtis For-ie adpellationibus Templa olim fuiſſe dicata. Bona tuna culta fuit in Capitolio, Mala in Exquiliis. iacem Fortunam cognominat Horatius, Crudelem ús, Fatalem Cicero &c.

Dicite, qui colitis Fortunam, dicite! quid Fors? (1)
Eſtne Vir, aut Mulier? (3) quale, vel unde ſuum
Numen habet? (4) quae forma illi? (5) quis
originis auctor? (6)
Cur caeca? (7) et conſtans in levitate ſua eſt?
In-

(2) *Fors* et *Fortuna* pari ſenſu dicta Virgilio, Ciceroni, Livio &c. Aliqui Fortem a Fortuna ſic diſtinguunt, ut dicant Fortem eſſe eventum et caſum; Fortunam autem ipſum deum. Fors Fortuna accipitur pro eventu tantum felici, uti eſt apud Terentium; et nonnunquam pro die feſto Fortunae, uti apud Ovidium.

(3) Romani Fortunam *Muliebrem* et *Virilem* coluerunt; unde Lactantius: Philoſophi ne aliquando non errent, in re ſtulta volunt eſſe ſapientes, qui Fortunae ſexum mutant, eamque non deam, ſicut vulgus, ſed deum eſſe dicunt.

(4) Cicero dicit magnam vim habere Fortunam in utramque partem; Virgilius ait omnipotentem; Salluſtius putat eam in omni re dominari; ſic etiam alii. Quid ergo ceteris diis loci ſupereſt? quaerit Lactantius. Cur non aut ipſa regnare dicitur, ſi plus poteſt; aut Sola colitur, ſi omnia? Vel ſi tantum mala immittit, aliquid cauſſae proferant, cur, ſi dea ſit, hominibus invideat, eosque perditos cupiat, quum ab his religioſe colatur? cur aequior ſit malis, iniquior autem bonis? cur inſidietur, adfligat, decipiat, exterminet? cur denique tam malam ſortita ſit poteſtatem, ut res cunctas ex libidine magis, quam ex vero celebret, obſcuretque &c.?

(5) Varia eſt eius Forma. Fingi ſolet cum Cornu Copiae et gubernaculo. Aliqui veterum illum in pila ſe-

nſanire palam me cum ratione fatebor,
Si quod Fortunae Numen ineſſe rear. (8)
ſit miſer, et demens; Fortuna ſit aſpera in illo,
Quisquis Fortunam non nihil eſſe putat. (9)

ſedentem finxerunt, alasque addiderunt; plerique posuerunt ſuper Cylindrum, aliquando comtam, aliquando ſordidam, cum gubernaculo; qualem in numismatibus et ſignis videmus. Pauſanias in Boeoticis ait Fortunae ſimulacrum fuiſſe, quae Plutum divitiarum deum manu tenebat. Alii inter maris undas velificantem, alii in montis vertice ſedentem efformarunt. Non defuere, qui Fortunam in equo velociſſimo collocarunt, et arcu intento Fatum inſequentem repraeſentarunt. — Aſt ego omnes eius imagines adducere non neceſſe habeo.

(6) Pindarus ait, Fortunam eſſe Parcarum Sororem, et quidem Virtute praecellentem, Pauſanias in Meſſeniacis tradit eſſe filiam Oceani in eo hymno, quem Homerus Cereri fecit &c.

(7) Nemo fere eſt, qui fortunam caecam eſſe neget. Pacuviani verſus in libro Rhetoricorum ad Herennium referuntur, in quibus haec illius proprietas ita exprimitur: Fortunam inſanam eſſe, et caecam, et brutam perhibent Philoſophi &c.

(8) Nullum Numen adeſt, ſi ſit Prudentia; ſed nos
Te facimus Fortuna deam, coeloque locamus.
Ait Iuvenalis.

(9) Fortuna per ſe nihil eſt, inquit Lactantius. Siquidem Fortuna eſt accidentium rerum ſubitus atque inexpectatus eventus. Recte Cicero Lib. II. de Divina.

n

XI.

Turba Iuventutis Gymnaſticae transformatur in Arbores.

Diſcite, quod ſacrum eſt Muſis, non fallere tempus
O Iuvenes! exempla docent, ſcelus eſſe luendum,
Siquis in ingenuas tempus non adplicet Artes.
Sacra Iovi lux nuper erat, quum pectora curis
Forte levaturus, qua ſe vernantia campi
Aequora diffundunt, lento pede languidus ibam. (1)
Solus eram; Soli proles Semeleia *Bacchus*
Occurrit triſtis caperato lumine, quali
Dum peteret *Naxon*, fuerat; namque impius illum
In mare Tyrrhenum Nauta exturbare parabat. (2)
Non video Satyros; fruſtra Thiadesque, Tigresque,
Silenumque oculis, Aſinumque per omnia quaero (3)
Agnovi tamen eſſe Deum; ſed poſcere cauſſam
Triſtitiae, ne forte gravis ſim voce, verebar.
Ille autem ſic ipſe refert: Genialia nuper
Feſta dedi, donisque meis hominesque, deosque
Ex-

---

n. 6. Quid eſt aliud Fors, quid Fortuna, quid caſus, quid eventus, niſi cum ſic aliquid cecidit, ſic evenit, ut vel non cadere, atque evenire, vel aliter cadere, atque evenire potuerint?

(1) Poetica haec Hiſtoria facta eſt Poſonii.

(2) Apud Ovidium Lib. III. Met.

(3) Hi enim faciunt comitatum Bacchi cum Cobalis, Lenis, Naiadibus, et Bacchis.

Exhilarare mihi fuit unica cura, laborque
Continuus; (4) quam magna feram nunc praemia, cernis!
Advenere Dies macri, quos ſanctior aetas
In damna inſtituit, ſerisque nepotibus ultro
Sub poenis ſervanda dedit; nos pellimur urbe,
Diſperguntque meos Ieiunia priſca Sodales. (5)
Hoſpitium mons iſte aperit, quem palmite multo
Dum labor eſt renovare, oculis mirabile monſtrum
Vicino ex campo accipio. Circumſpice! dixit:

Hic ubi caſtaneae, tiliaeque, et cortice molli
Sunt platani, ſolo veſtitus gramine campus
Mane fuit, nullamque prius produxerat umbram.
De Grege Apollineo, cum nondum altaris honores
Deſtiterant fumare, venit non parva caterva
Neglecto Superum cultu, properatque Iuventus
Exercere ſuos vario certamine luſus.
Inſtant ardentes operi, quam crimine poenam
Accelerent capiti immemores metuiſſe. Sed ecce!
Finitimo ex horto vaſta ſe mole ſtupenda
Oſtendit ſpecies, qualem mendacia tantum
Priſca Poetarum vobis ſpectanda dederunt:
Et genus, et nomen Terrae omniparentis alumni
Forte tibi melius poſſunt memorare Gigantes.
Portentum ferale, ingens; coma plurima torvos
Cui iacet in vultus, humerosque ut lacus obumbrat.
Falce manum armatur; dira ceu luce Cometae
Immanes ardent oculi, deformiaque amplo

(4) Dionyſia, Orgia, Bacchanalia.

(5) Quadrageſima ſacra vulgo dicta.

Ora patent rictu, rigidis sunt pectora setis
Villosa, horrendumque fremit, tantumque trifauci
Clamorem tonat ore ferox, ut campus, et Istri
Horruerint undae, penitusque exterrita tellus
Invisam domibus prope sit minitata ruinam.
Palluit, ut monstrum hoc auditque, videtque Iuventus;
Et pars una metu riguit, pars maxima, postquam
Collegit vires animi, parat ocyor Euro
Festinare fugam. Sed non fugietis ab ira
Dicit; et haerentes illi radicibus ima
Senserunt tellure pedes. Hoc acrius omnes
Incumbunt, totoque enixi corpore certant
Effugere ostentum, et vestigia vellere terra.
Ter frustra exercent tanto molimine vires;
Utque sua in Coelum tendebant brachia, ramos
Esse vident; heu nos! Coelum clamore fatigant,
Sed nil proficiunt. Crescens in corpora cortex
Et vocem, et miseris cum questibus occupat ora.

XII.

Physico

Cui gratulabunda misi Carmina.

Optime Naturae Speculator! (1) Carmina mitto,
Quae tibi de vero pectore fudit Amor.
Car-

(1) Exemplo Ciceronis dictum est; ille enim Lib. I. de Nat. Deor. n. 30. Physicum dicit Speculatorem, venatoremque Naturae.

iina ſi non vis, animum complectere. Quamquam
nid dubitem? Carmen, corque voventis amas.

XIII.

PYRRHO

Egregio, et Illuſtri Iuveni!

(c)

RRHE, tuae Patriae Spes ingens! accipiesne
ona, meos libros? Accipe, Muſa rogat.
i mea eſt, animum illa tuum, mentemque probavit;
la tuam mentem ſuſpicit, et cor amat.
annos animumque geris, mentemque virilem (1).
nnna ſi creſcant tempora, qualis eris?

XIV.

ic quoque diſſimulo verum nomen; non quod Iro-
n, aut Vituperium dicam; ſed quod Invidiam, et
orem creare nolim. Accedit, quod Spes concepta
i poſſit.

ic olim de Aſcanio, ſeu Iulo Aeneae filio dixit
ilius.

XIV.

Confeſſio Culpae.

(d)

Eſt Homo, praeclaro prognatus Sanguine; nomen
Non habet in noſtro nobilis ille libro.
Illum ego laudavi; laudes in Carmina verti;
Carmina maturis diſplicuere viris.
Quid facis imprudens? ſic ingeminabat Apollo.
Non meruit Muſam ſemivir ille tuam,
Quamvis ſint Bellae, non ſunt in amore Camoenae,
Phoebus ei nullus, nulla Minerva placet.
Luſus, et Veneres, choreas, convivia, nugas,
Et huc qui faciunt, curat, amatque iocos.
Huc multae funduntur opes, huc gaza paterna
Spargitur, hic veteris ſunt monumenta domus.
Quodve magis triſte eſt, congeſta pecunia ludum,
Heu dominis numquam reſtituenda! facit.
Quid facit ad doctas ter magna potentia Muſas,
Indoctis tribuat ſi ſua dona viris?
Dixit. Ego certus Laudi ſervire, libellos
Inſtruo, et inſtantis iuſſa repello Dei. (1)

Pec-

(d) Ex Solo hoc titulo rem non intelliges; foleo enim obſcurare titulum, ut res magis inexpectata appareat Lectori.

(1) κακον μακαρεσσιν ἐριζειν, dixit Callimachus in Hymnis: Malum eſt Diis reſiſtere.

Peccavi! fateor, meruique hoc crimine poenas.
Poenitet, et facti me pudet usque mei.
Si tibi iam meritas solvi Deus optime poenas,
Da veniam! Supremum hoc mihi crimen erit. (2)

XV.

Quatuor Franciscis

Dum festum egerunt Divi Francisci Xaverii.

Eia ad Apostolicos Socii properate labores!
FRANCISCUS vitam, quae sit agenda, docet.
Uni FRANCISCO totus non sufficit orbis; (1)
FRANCISCIS quatuor num satis unus erit?

XVI.

(2) Noli errare: Encomia huic Homini imprudenter ac stulte a me aliquando concinnata eodem modo, quo alia multa poemata, flammis sunt abolita. Lib. IV. n. 6.

(1) Romanum est effatum: Divum Franciscum Xaverium tanto propagandi Divini Nominis Zelo aestuasse, ut Orbis terrarum visus fuerit illi parvus et angustus.

XVI.

Petro

Qui meos Verſus emendare volebat.

(e)

Emendare meam voluiſti Petre Poeſim;
Quae ſunt virtutes, tu mea menda putas.
Si ſic emendas mea Carmina, gaudeo. Laudem
Quippe facis Guſtu nunc mihi Petre tuo.

SIL-

(e) Invidia (ait Callimachus) Apollini in aurem clam dixit: Non laudo Poetam, qui non ponto paria canit. Apollo Invidiam pede repulit, et dixit, Ἀσσυρίου ποταμοῖο &c. vid. Hymn. in Apollinem; deinde claudit: ὁ δὲ μῦθος, ἵνα ὁ φθόνος, ἐνθα γεοιτο.

SILVAE
PARNASSI PANNONII.
LIBER V.

I.

Dum Novi Epiſcopi
Anno MDCCLXXXVIII. ſunt creati.

(a)

Pannonii gaudete! novos Eccleſia, ſed quos
Pontifices? et quo munere? veſtra capit.
Divinum eſt Munus, Sapientia maxima, CAESAR,
Pontifices, quales provida Roma petit.
Talia dum CAESAR dat vobis Nomina, *Regem*
CAESAR *Apoſtolicum* ſe magis eſſe probat.

(a) Colocenſis, Vacienſis, Zagrabienſis, Iaurinenſis, Mauno Varadienſis, Scepuſienſis, Nitrienſis.

II.

De Bano Croatiae

FRANCISCO DE PAULA BALASSA DE BALASSA GYERMATH

Comite Excellentiſſimo.

(b)

Dic mea Muſa Virum, quem laeta *Croatia* BANUM
Poſſidet; ille tuo dignus amore Vir eſt.
Sed talem dic Muſa tuo mihi Carmine BANUM,
Qualis ineſt animo, iudicioque meo.
Scis animum, mentemque meam; ſcis abdita cordis.
Sola ſoles animi clauſtra videre mei.
Sic ego. Sed tantum ſe dicere poſſe BALASSAM
Illa negat, quantus mente, animoque meo eſt;
Sic

(b) Perpetuo in *Kékkeö*, *Vág-Beszterczе*, *Lietava*, et *Eberhard*, Inſignis Ordinis St. Stephani Regis Apoſtolici Commendatore, *S.* C. et R. A. M Camerario et Conſiliario Actuali Status Intimo, Regnorum Dalmatiae, Croatiae, et Sclavoniae *Bano*, et Supremo-Capitaneo, Excelſae Tabulae Banalis Praeſide, Inclitorum Comitatuum, Poſegani quidem Supremo Comiti, Szaladienſis vero, Varasdinenſis, Zagrabienſis, et Criſienſis Officii Supremi Comitis Adminiſtratore, et delegato Commiſſario Regio. —— Eſt autem *Banus* inter praecipuos Regni Hungariae Proceres et Magnates, qui nomine Regis *Dalmatiam*, *Croatiam*, et *Sclavoniam* adminiſtrat: unde aliquando *Pro-rex* dictus eſt.

Plus sentire potes, dicit, quam dicere possum;
Exsuperat vires Carminis ille mei.
Admirare igitur, si dicere non potes; inquam.
Hoc potes, haec animi sint pia sensa tui.

III.

De Illustrissimo ac Reverendissimo Domino

FRANCISCO XAV. L. B. SPLENY DE MIHALDI

Episcopo Vaciensi.

Optavi et dixi: Si nos bona Numina curant;
Sed curant Populum Numina nostra suum,
Franciscus Spleny dicetur *Episcopus*, illum
Ante alios ambit Pontificalis Honor. (1)
Quis melius curare Gregem? quis Saera fovere?
Exemploque magis vultque, potestque loqui?
Illum Relligio teneris nutrivit ab annis;
Virtutes illi, Pieridesque dedit. (2)

IX.

1) Recollige Characteres veri Episcopi, quos Paulus Apostolus enumerat in Epistolis I. ad Tim. 3. et ad Tit. I. ut inde iudicium facias de illo, cuius honori inservire Poeta voluit.

2) Illa nempe Relligio, quam ego sic aliquando vidi:

Par Generi eſt Animus, Mens eſt ſublimior aſtris,
Spiritus a Solo creditur eſſe Deo.
Non Metus, aut Faſtus, non Spes, aut Ambitus illum
Verterit; hic Faſtus, Spesque, Metusque timet.

IV.

Superos inter quae fulget in aſtris
Relligio, pandens auguſtae frontis honorem.
Digna polo, et ſuperis ſpecies erat, ardua molem,
Ora gravis, cultumque decens, blandeque rigenti
Fronte ſevera, metum caſto miſcebat amori,
Terrorem illecebris, maieſtatique decorem;
Parque metus, et amoris honos, formaque ſerena,
Hiberni velut aethra poli, cum nubila vento
Diffugere, Deae facies, et lumina fulgent.
Per latos diffuſam humeros permiſerat Euris
Caeſariem, rutiloque vagam criſpaverat auro.
Splendida Mitra tegit frontem, conoque coactum
Adtollens apicem, triplicis tegit orbe coronae
Clara comam; Nomenque Dei, Nomenque tremendum
Sculpta gerit laevi rutili ſub marginis oram.
In tunica niveus color eſt, in Stamine pallae
Caeruleus; variam diſtinguunt ſidera palmam.
Turis odoratam nimbo geſtabat acerram
Dextera, et auguſtum divina lege volumen
Laeva manus.

IV.

Fratri meo

JOSEPHO

Eccleſiae Metropolitanae Coloczenſis Canonico.

Quae de Dramatica dederam praecepta Poeſi, (1)
Exemplo ut doceam, Frater amate mones!
Sunt ibi, quae magni fecere exempla Poetae; (2)
Fruſtra petes, illis ſi meliora petes.
Non aliena peto, dicis; tua Dramata mitte!
Qua mente, et guſtu ſint ea? noſſe volo.
Sic eſt, et fateor: me Dramata plura dediſſe,
Et Muſam in Scenis ſaepe fuiſſe meam.

(1) Poeſis Dramatica ad Aeſtheticam, ſeu Doctrinam Boni Guſtus conformata. Budae Typis Regiae Univerſitatis Anno 1784 in 8. Dedicata eſt eidem *Joſepho Fratri.*

(2) Indicata ſunt eo in libro optima omnium aetatum et gentium exempla, Comica et Tragica. Nec illa ſunt omiſſa, quae fuere prototypon Dramatis Muſici.

Plutus, (3) et *Alceſtis*, (4) quales mihi Graeca paravit
Fabula, Carminibus complacuere meis.
Amphitryoniadem puerum, ſed multa volentem;
In bivium retulit noſtra Camoena ſuum. (5)

Ae-

(3) Hiſtoria haec eſt: *Chremylus* vir probus quum videret bonos fere omnes paupertate vexari, malos autem in divitiis vivere, conſulit Apollinem: Quid ſibi faciundum ſit, ut recte inſtituatur Filius? Accepto oraculo, ut egreſſus templo, quem ſibi Primum haberet obvium, ſequeretur; offendit in caecum et ignotum. Cognoſcit eum eſſe *Plutum* divitiarum praeſidem; cui deinde viſum ea lege procurat apud Aeſculapium, ut malis deſertis probos tantum adeat. Ex Ariſtophane.

(4) Quum iam moriturus eſſet *Admetus*, Apollo impetravit a Parcis illi, ut quantum vixit, alterum tantum viveret, ſi alium hominem daret, qui pro ſe moreretur. Hanc pro *Admeto* moriendi conditionem recuſarunt omnes; una fuit *Alceſtis* uxor, quae ſe pro Viro obtulit. Sed paucis poſt diebus, cum ea calamitas accidit, advenit *Herculeſ*; qui re comperta ad ſepulcrum properat, et *Alceſtim* (devicta Morte) vivam ad coniugem reducit. Ex Euripide.

(5) *Herculem* puerum exhibui in illo Bivio, quod iam Lib. IV. Num. IX. oſtendi ex Prodico, Xenophonte, Philoſtrato, Cicerone.

Aeneam ad Patrem duxi, (6) Latioque locavi; (7)
Kemenio mortem non ſine laude dedi. (8)
Somnia *Scipiadae* Iuveni, quae Tullius olim
Rupit, reſtitui Somnia Scipiadae. (9)
Buda probus Princeps, tuus, *Attila* frater! in arctum
Ducitur, et falſa ſuſpicione perit. (10)

(6) Argumentum huic Dramati dedit Virgilius Aen. VI. ubi *Aeneas* duce Sibylla deſcendit ad inferos, et multa in Elyſio loquitur cum patre ſuo Anchiſe.

7) Cum iam in Latio regnavit *Aeneas*, finxi veroſimiliter eo veniſſe Iovem et Mercurium, non ut apud Ovidium Lib. VIII. Met. ad Philemonem et Baucidem, ſed ſub perſona *Ulyſſis* et *Eurylochi*. Aeneas apparatu regio ſuos hoſpites accipit, eisque oſtendit auream in Latio aetatem.

8) Turcae multis Cladibus adfecti ab *Joanne Hunniade* antequam novam iterum pugnam inirent, conſilium capiunt, in eum unum convertendi vim maximam, non dubitantes, in eo ſolo, ſi caderet, victoriam eſſe ſitam. Hoc eorum propoſitum edoctus *Simon Kemenius* forma, virtuteque ſuo Duci ſimillimus locum eius in acie media cum praetorianis occupat, et vim vi diu ſuſtinet, ſed tandem cadit. Interea *Joannes Hunniades* alio e loco urget praelium, et, deleto feliciter Barbaro, *Kemenio* ſoſpitatori ſuo inferias mittit.

9) Ex libro Ciceronis, cui nomen: Somnium Scipionis.

10) *Buda* in ſuſpicionem adpetendi regni adductus eſt; quapropter manu fratris *Attilae* iugulatum fuiſſe nonnulli

Mesa suum Gnatum, pressam quo liberet Urbem,
Sustinet iratis sacrificare Diis. (11)
Cetera non memoro, quae struxi Dramata; (12)
Censen'
Illa tuis oculis digna? legenda dabo.
Tunc haec *Romano* sunt structa poemate *Versu*,
Cum potuit *Latio Carmine* Musa loqui.
Nunc ubi Musa tacet, *Latiique* theatra reliquit,
Aut mortem, aut tenebras Dramata nostra petunt.

V.

nulli tradiderunt. At cum mansuetiore fuerit ingenio Attila, hanc ab eo barbariem abhorruisse verior est aliorum sententia. Periit tamen, non voluntate fratris, sed errore, seu potius malignitate invidorum.

(11) *Mesa* rex Moab, quod foedus abruperit, a tribus Regibus arcte obsessus, desperata in armis Salute, arripuit filium suum primogenitum, qui regnaturus erat, obtulit holocaustum super murum. Hostes indignati recesserunt. IV. Reg. 3.

(12) Uti est: *Attilae Clementia*; *Philotas*; *Pamphilus adolescens* more Plautino, *Heres Fortunatus* Terentiano.

V.

Buda

Nocturnis Lampadibus perpetuo illuſtrata.

Sunt hic *Argi* oculi? (1) vel ſunt haec Sidera Coeli?
Quae faciunt plenam Nocte ſilente diem.
Non ſunt *Argi* oculi, (2) non ſunt haec Sidera Coeli;
Argi oculos Pavo, (3) Sidera *Coelus* habet. (4)
Dum Nox aſtra tegit, ſua lumina *Budà* reducit;
Quod praeſtare nequit Sol, mea *Budæ* poteſt.
Buda! cui ſimilem iam te mea Carmina dicant?
Te cano; tu tota nocte, dieque vites!

(1) Centum luminibus cinctum caput *Argus* habebat;
Inde ſuis vicibus capiebant bina quietem,
Cetera ſervabant, atque in ſtatione manebant.
Ovid. Met. I.

(2) *Argе*! iaces, quodque in tot lumina lumen habebas,
Extinctum eſt, centumque oculos nox occupat una.
Ibid.

(3) Excipit hos (oculos), volucrisque ſuae (Pavonis) Saturnia pennis
Collocat, et gemmis caudam ſplendentibus implet.
Ibid.

(4) *Coelum* More veteri dictum *Caelus* apud Arnobium, Lactantium, Ciceronem, Ennium; ſicut apud Graecos Οὐρανος.

VI.

Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Domino

FRANCISCO XAV. KALATAI

Dum die 20. Auguſti
Anno MDCCLXXXVII Antiſtes Magno
Varadinenſis renunciatus eſt.

Sume Pedum et Mitram! Tibi convenientia ſunt haec
Munia; Tu Praeſul *Varadienſis* eris!
Si dubitas (dubitare hic eſt pulcherrima Virtus)
Si dubitas tantum Te meruiſſe deeus;
Non Te, ſed Populi ſenſum, (1) geminamque Minervam, (2)
Mercuriumque meum conſule! certa canunt. (3)
Pal-

(1) Hungarici et Polonici; his enim in Regnis de omni hominum genere, Civili et Militari, opulento et egeno, palam et occulte, in carceribus, noſocomiis, publicis, privatisque domibus optime mereri ſtuduit, et quos potuit, ſua opera, ſervitioque beavit.

(2) Pallas, Minerva eſt togata, armataque, domi militiaeque Dea, et Scientiarum magiſtra, cuius artes et ſtudia Praeſul iſte in S. I. ſemper eſt ſectatus. Iuventutem Literariam in Gymnaſiis et Academiis ſacra, profanaque eruditione imbuit *Ginſti*, *Nagy Banyai*, *Gyöngyöſſini*, *Strigonii*, *Budae*. Suppreſſa Societate Iesu, munere *Superioris* Capellanorum Caſtrenſium per Galitziam, et Lodomeriam functus eſt.

(3) Mercurium Eloquentiae Praefidem, quem alias ſemper, tum autem maxime probavit, cum in reducendis

Pallas, et Interpres Divum, Populique, Diique
Te celebrant; pro Te debita vota ferunt.
Si Tibi non credis, credes Populisque, Diisque;
Crimen erit Regi credere nolle tuo.
Caesar, *Apostolicus* Princeps (quis iustior illo)?
Te scit, et ad Sceptrum Pontificale vocat. (4)

VII.

ELEGIA EPIDICTICA

Per quam demonstratur

URANIAM *Musam*, *esse* PRIMOGENITAM URANI.

(1)

Urane! qui Terram, et Mundum complecteris omnem,
Imperioque regis Sidera cuncta tuo. (a)

dis ab errore Iudaeis, Arrianis, Hussitis, Anabaptistis, et Deistis laboravit. Operae pretium hoc tulit, quod laborioſus, indefeſſus, et felix Apoſtolus ſperare potuit.

(4) Teſtem, iudicemque menitorum non habet maiorem et iuſtiorem, quam ſit Josephus II. Caeſ. Aug. et Rex Apoſtolicus; a quo ille ſaepe diuque, potiſſimum autem eo in itinere fuit exploratus et perſpectus, quod per utramque Ruſſiam et Moſcoviam inſtitutum erat cum Aug. Caesare.

(1) Ego quoque profiteri poſſum, quod Seneca de ſe dixit in Octavia:

Te nihil eſt *maius*, nihil eſt *antiquius*; in Te
Sunt ea, quae de Te ſcire Poeta cupit.
Hue ades! et *primo* quae ſit tibi prodita *Parte*
Proles? in plenam fer Pater alme diem! (3)
Haec fuerant mea vota, novum dum canto Planetam,
Et ſtruo dilectae Virginis Hiſtoriam. (4)

URA-

O quam iuvabat (quo nihil maius Parens
Natura genuit, operis immenſi artifex)
Coelum intueri, Solis et currus ſacros,
Mundique motus, Solis alternas vices,
Orbemque Phoebes, Aſtra quem cingunt vaga,
Lateque fulgens aetheris magni decus!

(2) Οὐρανος dicitur Graecis, quod Latinis *Coelum*, aut forte olim etiam *Coelus*, aut *Coelius*, primus et ſummus in Poeſi Deus, qui ſuo ambitu, complexuque tenet omnia, quae ſunt, corpora. Non neſcio *Mundum* aliquando dici *Coelum*, ſicut κοσμον nonnumquam Οὐρανον; reapſe autem aliud eſt *Mundus* et κοσμος, aliud *Coelum* et Οὐρανος. Illud certum eſt: κοσμον, ſeu *Mundum* nominari ab ornatu, pulchritudine, et elegantia operis. Quid enim mundius eſt divino hoc artificio, quod Mundum dicimus? Vide Ariſtotelem in Libro περι του κοσμου.

(3) URANI filias eſſe *novem* ſub nomine *Muſarum*, oſtendi in *Hiſtoria* URANIAE Lib. IV. *Silvae huius*; ſed quae ſit proles *primogenita* omnium *Natorum*, *Natarumque* URANI? Pater optime novit.

(4) Dilecta illa Virgo eſt *Uranie*, Aſtronomiae *Praeſes*; quod nomen, optante Cel. *Hellio*, gerere debet novus ille Planeta, quem *Herſchelius* detexit. Vide Litem Aſtronomorum de Nomine ab *Hellio Uranophilo* concin-

URANUS expandit faciem, vocemque per auras
Edidit: URANIE Filia: PRIMA fuit! (5)
Vidimus *Uraniam* Coelo prodire ſereno, (6)
Moſeosque mihi ſignificare Libros. (7)
Hos ego confeſtim refero, primumque videre
Nunc videor, mentem quod latet ante meam.
Seu

---

cinnatam, et ſuis Ephem. Aſtron. Anni 1787 et 1788. inſertam.

(5) Reſponſum hoc *Urani*, eſt *idem* cum doctrina Cel. *Hellii*, qui *Mercuriano* Poetae argumenta illa communicavit, quae referuntur in notis ſequentibus, ut palam omnibus ſit: ADAMUM *neceſſario* fuiſſe et *primum*, et *maximum Aſtronomum*; Auctorque fuit, ut Carmen hoc concinnaretur, et *Silvae Parnaſſi Pannonii* inſereretur.

(6) Non ſic, ut *Tycho Brahe* Aſtronomus incomparabilis, qui in ſuo ad *Nicolaum Kaaſium* Regis Daniae Cancellarium poemate refert:

En! ſupero veniens mox ſe patefecit Olympo
Urania; agnovi, nam mihi viſa prius &c.

Nos enim in Planeta novo prodeuntem, lucentemque *primi* vidimus, quem *Tycho Brahe* non novit. Vidimus autem ea forma prodeuntem, quam *Uranophilus Auſtriacus Cel. Hellius* in ſua *Lite* deſcribit, et ego in *Hiſtoria Uraniae* cano.

(7) Hoc ex indicio intellexit Poeta, libros *Moſis* eſſe *meditatius* legendos. *Moſem* Aſtronomiae peritiſſimum multis laudibus extollit *Philo* in libro de vita eius, aliique, uti Clemens *Alexandrinus* &c Immo ipſa etiam Scriptura Sacra Act. VII. teſtatur, eum *omni Aegyptiorum ſapientia eruditum*; qui Aſtronomiae ab *Abrahamo* acceptae fuere peritiſſimi.

Seu fuit *Uranie*, ſeu *Sol*, ſive *Uranus* ille,
Qui mihi dat lucem; lux ea *Summa* fuit.
Illa libro adfulſit, tenebras illa inde removit,
Illa meae menti ſenſum, oculosque dedit.
Principium in *Geneſi* facio, relegoque, quod ante
Saepe; ſed in *tanta* numquam ego *luce* lego.
Primus Homo, exclamo! (dictu mirabile)! Certe
Et *primus* fuit, et *maximus Aſtronomus*! (8)

Tunc

(8) *Adamum* primum hominem, ducem et patrem noſtri generis fuiſſe *primum Aſtronomum* ita mihi manifeſtum ac certum eſt, ut cenſeam me dubitare non poſſe ſine *Scelere*. Potuitne non identidem oculos in Coelum tollere mirabili varietate diſtinctum, et ſideribus exornatum? Immo nonne debuit obtemperare Naturae non tam invitanti ad ſpectaculum, quam violente cogenti Hominem ſaniſſima mente, ſenſibusque perfectiſſimis, et ſapientia incredibili divinitus imbutum? *Dixit autem Deus* (Gen. I. a v. 14.) *Fiant Luminaria in firmamento Coeli, et dividant diem ac noctem, et ſint in ſigna et tempora, et dies, et annos.* —— *Fecitque Deus duo Luminaria magna; Luminare maius, ut praeeſſet diei, et Luminare minus, ut praeeſſet nocti; et Stellas, et poſuit eas in firmamento Coeli, ut lucerent ſuper terram, et praeeſſent diei ac nocti, et dividerent lucem ac tenebras.* Unde arguo: Aſtronomiam Primo Homini eſſe *coaevam*. Confirmat argumentum Naturae Mentis noſtrae, et Figura Corporis humani, de qua ſic Ovidius Lib. I. Met.

Pronaque cum ſpectent animalia cetera terram,
Os homini *ſublime* dedit, *Coelumque* tueri
Juſſit, et erectos ad *Sidera* tollere vultus.

Vidit

Nunc ego non aliter plausi, quam qui εὕρηκα dixit, (η).
εὕρηκα; quod volui noscere, nosse datum est.
Iam

Vidit *Adam* Coeli Sidera, observavit Solem et Lunam, adnotavit *cursum*, numeravit *reditus*, distinxit *tempora*, definivit *menses* et *annos*, artemque suam et observationes filiis, nepotibusque tradidit. Profecto nisi dicamus, firmumque teneamus ab ipso *Adamo* statutos, fixosque fuisse *Menses*, et *Annos*, certamque *Chronotaxim* posteris traditam, non potuit *Moses* enumerare *annos* ADAE, ceterorumque Patriarcharum serie continua a *primo* illo *Genitore* descendentium. Ait autem Gen. V. *Vixit Adam* 130 ANNIS, *et genuit filium ad imaginem et similitudinem suam, vocavitque nomen eius* SETH; *et facti sunt dies Adam, postquam genuit* SETH, 800 ANNI, *genuitque filios et filias. Et factum est omne tempus, quod vixit Adam,* ANNI 930. *et mortuus est.* Atque ita porro loquendo prosequitur *Genealogiam* Hominum, continuatque *Chronologiam* Patriarcharum usque ad *Noemum* &c. — Quis autem numeravit *annos* ADAMI? Nam de aetate filiorum non eadem ad omnia est responsio. Quis? inquam, nisi *ille idem*; cum nemo ante illum fuerit, qui *mensuram anni*, et chronologiae *principium* facere potuisset. Si autem numeravit *ipse* ADAM vitae *suae* annos; necesse est illi adfuisse *mensuram* mensis et anni; quae certe non aliunde, quam ex revolutione Solis et Lunae potuit existere. Cum igitur *mensuram* annorum *suorum* confecerit ex *motu* Solis et Lunae, non debuit non illum *observare*, et conversiones horum Siderum non *determinare*: quod autem est certe laboris *summe Astronomici*. Nam hodie quoque id agunt *summi Astronomi*, ut Solis et Lunae et ceterorum Planetarum motum accu-

Iam tunc *Uraniam* dixi, *primam* esse Sororum (10)
Urania est summi *Filia prima* Dei. (11)
Sed

curate observent, et circuitus horum corporum coelestium, *summa cum praecisione* determinent.

Adamum autem non solum fuisse *primum*, sed et *maximum* Astronomum, inde conficitur, quod, cum vixerit annos 930, *necessario* observare, et scire debuerit, I. Annos *Intercalares*, quos nos *Bissextos* adpellamus; scilicet post singulos tres annos dierum 365 interserendam *quarto* quovis anno diem *unam*, quartumque quemvis annum fieri debere dierum 366 eo modo, quo *Julius Caesar* reformavit suum *Calendarium*, quod nunc *Julianum* dicimus; nam in annis 930 reperiuntur dies *intercalares* 232, quos *Adamus in motu Solis necessario* videre debuit. —— II. *Adamus* iam scire debuit *Cyclum* Lunarem 19 annorum, seu *Saros*, quibus Eclipses solis et Lunae *eaedem*, et *eodem modo* ad *eundem diem* anni redeunt; quia huiusmodi *Cycli*, seu *Sari* in annis 930 vitae *Adami* continentur 49. —— III. *Adamus* scire et observare debuit *adparentem* illum motum *Universi Coeli Stellati* ab occidente in orientem respectu puncti Aequinoctialis, quem motum nos *praecessionem Aequinoctiorum* dicimus; quia hic motus intra 72 annos conficit *unum* gradum. Igitur intra annos 930, quos *Adamus* habuit, confecit spatium 13 graduum, quibus puncta Aequinoctialia recesserunt: quod spatium motus *Adamus* in Coelo videre debuit. —— IV. Planetarum Revolutiones relatae ad *Stellas fixas*, *Adamus* etiam *necessario* scire debuit. Sic, quia *Saturnus* cursum suum intra 30 circiter annos absolvit, *Adamus* intra 930 annos *Saturnum* 31*es* ad *eandem* Stellam rediisse videre debuit. *Iovem*, cuius revolutio est fere annorum 12, videre debuit 77*es* rediisse ad *eandem* Stellam. *Martem*, cuius

ed litem ecce novam! Litem denunciat ille,
Qui litem, et litis bella forenſis amat.
Huic

cuius revolutio eſt fere a annorum, videre debuit 465es cum *eadem* fixa coniunctum; et ſic de ceteris Aſtronomiae Elementis, quae *Adamus* annis 930 vivendo, et Coelum *obſervando* ignorare prorſus non potuit.

Neque tibi hic in mentem veniat dicere cum *inſano* et *ſtulto* Authore Libri impii *Horus* dicti; annos hos Vitae *Adami* et ceterorum Patriarcharum, qui numerum 600, 700, 800 et 900 annorum ſuperant, quos *Moſes* in ſua *Geneſi* enumerat, fuiſſe tantum totidem *Menſes lunares*, et non annos *Solares*, adeoque *Adamum* tantum vixiſſe annos *Solares* 77 1/2 et non 930; id ſi afferas, *manifeſtae ſtultitiae*, et *inſaniae* reum te facis; nam id ſi afferas, (inter cetera deliria) admittere cogeris, primos Patriarchas, *proles genuiſſe*, dum aetatem *infantilem duorum, trium, quatuor* &c. annorum *Solarium* vivebant. Lege caput XI. *Geneſeos*; ibi Verſu 18 dicitur: *Vixit quoque Phaleg* 30 *annis, et genuit Reu*, ſi anni hi 30, ſunt *menſes lunares*, tum *Phaleg* genuit Reu dum eſſet annorum *Solarium* 2 & 1/2 *Infans*. Sic Verſu 12 habetur: quod *Arphaxad* genuerit *Sale* anno ſuae aetatis 35to adeoque, dum eſſet annorum *Solarium* 2 et 11 Menſium, et ſic de ceteris Patriarchis in hoc capite. — Quanta haec foret *inſania* et *ſtultitia* id afferere? et tamen ex huiusmodi *deliriis* et *ſtultitiis* conſarcinatus eſt totus *inſanus* liber, *Horus* dictus, de cuius Authore paullo poſt.

Illa quoque hic praetereunda non eſt *Chronotaxis*, quam *Moſes* enarrat Gen. VII. et VIII. de annis, menſibus, et diebus *Diluvii Noemitici*; quod contigit anno poſt obitum *Adami* 726; quos annos, menſes, et

Huic ego (*si Sapiat*) Veteres ostendere Libros
Incipiam, Veteres ni neget esse Libros (12)

Hic

et dies certe nemo alius scire poterat, nisi *idem ille Noemus*, qui tamquam secundus *Adam* post Diluvium adnotavit, et posteris tradidit. — Lege; si Astronomiae non es ignarus, lege, inquam, textum 11 et 12 Cap. VII. itemque Capitis VIII. v. 3. 4. 6. ac omnes alios a versu 13 ad finem; lege, *computa*, et confer *data* illa *Calendarii Nolimitici cum hodierno Calendario Iudaeorum*; quod certe sua accuratione, saltem *Cyclica*, non caret, confer, aio, et *obstupesce* accurationem enumerationis annorum, mensium, et dierum, quae iam tempore *Noemi*, id est, annis post mortem *Adami* 700, habebatur, *Noemo* a posteris *Adami* tradita, et a *Noemo* conservata, suisque Nepotibus communicata; et, *Si Astronomus es*, aude negare! *Adamum* fuisse *primum* et *maximum* Astronomum.

Quicunque est ille, qui haec intelligit, scio certe, detestabitur insaniam *Christiani Ernesti Wunschii* libri illius, qui sub nomine *Horus* est editus sermone *Teutonico*; Auctoris infelicissimi: hoc enim libro nihil magis *impium*, *insanum*, aut *stultum* vidit, vel visura est unquam *Respublica Astronomica*. Scriptor, ille Astronomiae prorsus *ignarus*, dum opus eximium a *D. Bailly* de *Antiquitate Astronomiae* concinnatum e lingua Gallica ad Germanicam transtulit, in eam improbitatem et audaciam, ex *ignorantia* Astronomiae, est prolapsus, ut suo in libro *Mosem* fecerit *Sycophantam*, *fabulatorem*, et *deceptorem*; *Prophetas* vero declaraverit fuisse *Astrologos ignorantes*, *nugatores*, et *somniatores*; *Apocalypsim* nil aliud esse pronunciaverit, quam stulta et insana deliria Astrologorum a *Joanne Evangelista*,

harum

Hic Pater Humani Generis quae ſidera Coelo?
Stentne? vel in varia ſint regione? notat. (13)
Ille

harum rerum imperitiſſimo, compilata; *Jeſum Chriſtum* fuiſſe purum hominem, hiſtrionem, ludificatorem &c. Horret animus cetera meminiſſe. *Syſtema*, & Planum ſuum *inſani* huius libri Author: *Chriſtianus Erneſtus Wunſchius* iam anno 1776 in Praefatione ſua ad opus *D. Bailly* de *Antiquitate Aſtronomiae* proponere non erubuit, et ita *ſe ipſum* eſſe Authorem impii libri *Horus* dudum ante, quam *Horum* ſuum edidiſſet, *prodidit*, et *profeſſus eſt*. Confer in Praefatione hac illa, quae de *Apocalypſi* ſcripſit, cum deliriis in ſuo *Horo*, et Authorem noſces. — Non ita vir acerrimi ingenii, Aſtronomus maximus *Joannes Kepplerus* ſummo Aſtronomo *Tychoni de Brahe* coaevus, et laborum Socius, Rudolphi II. Caeſ. Mathematicus, qui ſua in obitum *Tychonis* Elegia de utilitate Aſtronomiae, etiam ad Religionis *Chriſtianae* cognitionem ſpectante, haec (*Uraniam* alloquens) confeſſus eſt.

Mſ quoque, *Diva potens*! *propius* perculta dediſti,
Ne cruciet mentem vana *ſuperſtitio*.
Dulcia non poterat compeſcere Somnia *Moſes*;
Suſpicio magnos fecerat eſſe Deos.
Forte etiam *magicas* veniſſem promtus ad *artes*,
Eliciens orco, quod regere Aſtra putant.
Intima quantisper non ad penetralia veni,
Explorans *vires*, Lux animoſa! *tuas*.
Conſulat Aſtrorum vires, quicunque laborat
Cum fructu vetitis obvius ire libris.
Tuque adeo immanes terris avertere peſtes,
Si, quod Sacra iubent, *Dive Rudolphe*, cupis!

Si

Ille ſuo in curſu Solem, Lunamque recenſet,
Temporaque in numerum digerit ille ſuum.
Ille

Si tibi ſunt cordi miſerae nova commoda vitae,
Gloria ſi ſummi cultus, amorque Dei.
Hanc etiam clemens ſtudiorum amplectere partem,
Conſciam et Aſtrorum perge fovere Deam.

Ita Vir ſummus ***Kepplerus.*** Vide *Inſcriptiones Haſnienſes Petri Joannis Reſenii* Hafniae anno 1668 editas pag. 356. Non deveniſſet *Horus* ad ſtultam illam impietatem et blasphemiam, ſi *Scientia Aſtronomica* inſtructus Sacros Scriptutae Libros (cumprimis *Geneſin* a *Moſe* editam) legiſſet, et duce *Urania Propheta*, *Apocalypſimque* ſcrutatus fuiſſet. Sed tamen heu! quot et quantos ille lectores, ſcelerisque ſui *ſectatores* habet? Fidem apud eos etiam conciliavit *ignorantia*, cumprimis *Aſtronomiae*, qui ſe *ſapientes* putant; quia depravatus eorum animus *caecitatem* induxit Menti. —— Redeo, unde paullum diverti. Igitur ex ratiocinatione ſupra propoſita certum habeo: 1mo *Adamum* fuiſſe *primum* et *maximum Aſtronomum.* 2do *Aſtronomiam* eſſe Scientiarum omnium *primam.* 3tio *Uraniam* eſſe *primogenitam Urani*, ſive Muſam ante omnes alias e *Coelo* delapſam.

(9) *Archimedes* Syracuſius, Mathematicus celeberrimus, qui cum in Balineo poſitus inveniſſet ſolutionem famoſi illius problematis, quod a Rege Syracuſarum de Corona: *Quantum auri, argentique commixti haberet?* propoſitum fuit, ut erat in thermis, exilivit, clamavitque per urbis vicos: εὕρηκα! εὕρηκα!

(10) *Uranie* ſuperat reliquas divina Sorores;
Dicitur et Sacri gloria *prima* Chori.
Hanc coluere patres priſci, Regesque potentes;
Qui *propius* mentis vi tetigere Deos &c.

Ille Dies, *Menſesque* ſuos, inde inchoat *Annos*,
Aetatesque hominum, et ſecula *prima* ſtruit. (14)

O 2 Haec

Ita manu propria ſcripſit Aſtronomus celebris *Mauritius* Landgravius Haſſiae 2 Aprilis an. 1592. Caſſellis in ſua Elegia ad ſummum Aſtronomum *Tychonem de Brahe*. Vide; *Inſcriptiones Hafnienſes Petri Joannis Reſenii* pag. 366.

(11) Scilicet *Urani*, veluti dictum eſt.

(12) Librum nempe *Geneſeos* a *Moſe* conſcriptum; in quo *unico Vera* a creatione *Adami* Hiſtoria, ordine Chronologico, enarratur; qui Liber fundamentum etiam eſt totius Hiſtoriae *profanae*, et *Chronologiae*.

(13) Extra dubium eſt I. *Adamum* Planetis, et fixis *primae*, ac *ſecundae*, aut *tertiae* magnitudinis ſua dediſſe *nomina*, quibus inter ſe diſcernerentur, et poſteritati indicarentur. Hae enim *fixae* ſunt puncta illa *immobilia*, ad quae *Adamus* Solis, Lunae, et Planetarum recurſus, circuitusque *neceſſario* definire debuit. II. Coelum quoque *Stellatum* in configurationes, et Conſtellationes quasdum minores, ac *particulares* ordinaſſe, et ſuis poſteris reliquiſſe; quas *Abrahamus* haud dubie Sacerdotibus Aegyptiis communicaverit. Aſtronomi hodiedum in ſuis *Catalogis Fixarum*, praeter nomina *Arabica* ex Hebraeis translata, multa recenſent nomina *Hebraica*, *Chaldaica*, *Syriaca* fixarum, et Conſtellationum ſummam antiquitatem, et *ſimplicitatem* praeſeferentia; quae *Hebraei*, vel *Iudaei* a Patriarchis acceperint, et *Chaldeis*, *Syris*, *Arabibusque* conſignarint. Haec nomina multo antiquiora ſunt *Graecis* illis vocibus, quibus utuntur noſtri Aſtronomi. Exempli cauſſa nonnulla ex multis adduxiſſe iuvat. Conſtellatio, quam hodie dicimus *Caſſiopea*, Hebraeis dicitur

Abe-

Haec nisi signasset, Natisque dedisset *Adamus*, (15)
Moses quae scripsit, *scribere non potuit.* (16)
Urane

Abenezer, id est, *Lapis Auxilii*. *Ursa maior* Hebraeis adpellatur *Asch*, id est, *Cumulus*, *qui circumgyrat*, nempe circa polum terrae. *Praesepe* in Cancro Hebraice *Kellef*, seu *Millesima*. Caput *Meduſae* apud Hebraeos audit *Rosch Ischa Lillis*, vel *Rosch Hallilith*, id est, Caput Mulieris *Lillis*, seu Caput *Evae* primae mulieris Adami, quam Rabbini fabulantur ab *Adamo* repudiatam. *Capella* Hebraeis est *Alhajot*, vel *Alhotot* Caper, aut Capra &c. —— Multa huiusmodi *Hebraica*, *Chaldaica*, *Syriaca*, et *Arabica* nomina legi possunt in operosa recente Collectione D. *Ancillon*, inserta Ephemeridibus Astronomicis Berolinensibus ad Annum 1788.

(14) Si fas est, negare *Adamum* fuisse *primum Astronomum*, licebit etiam inficiari *numeros annorum a Mose* de *Adamo*, ceterisque Patriarchis recensitorum; tuto inquam adseretur, quod consequitur, *annos* ab *Adamo* ad nos usque statutos a *Mose* esse confictos; quia si *Adamus suos vitae* annos non *ipse idem* numeravit, nemo alius hos scire, numerareque potuit: nisi forte dicas, illos a Deo, peculiari quodam oraculo, *Mosi* fuisse revelatos, quod nullus unquam evincet. Si, aio, *Adamus* non *ipsemet* numeravit annos *vitae suae*, necesse erit statuere, totam Mosis Chronotaxim esse fabulam: quod non solum libros sacros *impie* et non sine maxima insania, et stultitia evertit, sed historiam quoque *profanam* funditus destruit, et *fabulam* facit, propterea, quod *principium* Chronologiae Historiae *profanae* nullum omnino assignari possit, nisi prius demonstretur, et nominetur *Homo ille*, qui *primus* fuit *Astronomus annos* et *Moyses* condens, per quos *numeri chronologici*

Irane! qui cupido dixiſti *certa* Poetae,
Quae tibi pro certo munere dona feram?

gici annorum computentur. Si vero ſtatuamus, ut firmiſſimo, maximoque cum fundamento debemus, *Adamum* iam illico a ſua creatione fuiſſe *Aſtronomum*, hoc eſt, *obſervaſſe curſum Solis et Lunae, ceterorumque Planetarum*, et *definiviſſe circuitus eorum*, proinde *menſes* et *annos* determinaſſe, ſalva eſt tota *Moſis* Chronotaxis, ſalvum etiam totius Hiſtoriae et Chronologiae *profanae* fundamentum.

15) Supervacaneum eſt quaerere: Quomodo adnotaverit *Adamus* ſuas obſervationes, poſterisque tradiderit? Modum aliquem fuiſſe, tametſi rudiorem, quam noſtra ſint ſigna et characteres, facile, et ultro dederim. Quae fuerint illius notae aut Hieroglypha? nihil ad rem. Ceterum, poteſtne in dubium vocari, quod *primus* mundi incola *Adam* tum ea, quam a Deo infuſam accepit, ſcientia, tum comparatis iterata contemplatione Coeli uſus, *Aſtronomiae* diſciplinam poſteris tradiderit, ac repetitis ſermonibus explanaverit? *Joſephus Flavius* Antiq. Iud. Lib. I. Cap. 3. memorat: Filios *Seth*, nepotes *Adae*, poſtquam intellexere ex vaticiniis *Adami*, Terram univerſam primum *diluvio*, deinde *incendio* ſubigendam, duas excitaſſe columnas, *lapideam* alteram, alteram *lateritiam* eo conſilio, ut *lapidea* aquae, *lateritia* vero igni ſuperſtes foret; eisque *mathemata* ſua, praeſertim *Siderum*, *Coeleſtiumque rerum notitiam* ab *Adamo* traditam ſignis *hieroglyphicis* inſcripſiſſe, et illam, quae *lapidea* fuit, ſuo adhuc aevo (Joſephi Flavii ſcilicet) in terra *Syriade* incolumem ſtetiſſe. *Brietius* Chronologus erectionem duarum harum Columnarum refert ad annum ab *Adamo* creato numeratum 1001; qui ab obitu eius fuit annus 71*mus* *Setho*

Thura tibi non reddo, sacrum non fundo cruorem;
Non hominum sanguis, non tibi thura placent. (17)
Quod

Setho Filio *Adami* vivente, et annum aetatis agente 871; qui cum *Adamo* vixit annis 800, et demum anno a creato *Adamo* 1042 mortuus est. Hac, aut alia ratione in gente *Patriarcharum* custoditam Astronomiam, et crebris *Hebraeorum* observationibus auctam, *Abrahamus* in terram *Chanaan*, tum in *Aegyptum* detulit. Erat autem *Abrahamus*, ait *Berosus* Scriptor antiquissimus, *post diluvium decima aetate apud Chaldaeos quidam iustitiae cultor, vir magnus, et Coelestium rerum peritus.* Porro eundem *Abrahamum* ob praeclara Astronomiae documenta, Sacerdotibus Aegyptiis tradita, ab *Pharaone* Rege cum honore exceptum, multaque pecunia donatum testatur idem *Josephus* Lib. IX.

(16) *Necessario* igitur tenendum est: *Adamum* fuisse *primum*, et *maximum Astronomum*, qui *menses* et *annos* determinavit, numeravitque; quique suos filios et posteros instruxit in Astronomia: a quibus deinde per continuam Patriarcharum Successionem, id est, *traditionem* usque ad tempora *Mosis* pervenit; qui in Aegypto natus, et in aula *Pharaonis* educatus, a Sacerdotibus Aegyptiis, Astronomiam ab *Abrahamo* acceptam maxime colentibus omni Scientiarum genere, cumprimis Astronomia, eruditus *Genesim* conscripsit. — Huc omnino referendum est, quod Cel. Astronomus *Tycho* de *Brahe* in sua Elegia scribit Uranoburgi *Henrico Rantzovio* sapientia et eruditione excellenti Regis Daniae in Holsatia Vicario et Consiliario anno 1585. Vide *Vitam Tychonis de Brahe Philandri de Weistri*, pag. 149. Hafniae Anno 1756.

A veteri monumenta poli nam ducis *Adamo*
Per *Sethum*, et Soboles, et per *Enocha* pium.

Utque

Utque pater *Tharæ*, et filius ipſe *Abrahamus*
Sidereas populos edocuere *vias*.
Et quos praeterea tibi *pagina Sacra* miniſtrat,
Quosque etiam crebro *Scripta profana* ferunt &c.

Ut vero Lectores continuam, et non interruptam traditionem *de ore ad os* obſervationum Aſtronomicarum tum *Adami*, tum poſterorum eius, ſeu *primorum* Patriarcharum ad *Abrahamum* usque factam veluti *uno intuitu* intelligant, Tabellam *Chronologicam* ſubiicimus annorum *nativitatis*, et *mortis* omnium Patriarcharum ab *Adamo* usque ad *Abrahamum* deſcendentium. En eam!

Anni Nativitatis et Mortis primorum Patriarcharum a creatione Adami ſecundum Codicem Hebraeorum, et Vulgatam Latinam computati a Cel HELLIO.

	Natus *Anno.*	Mortuus. *Anno.*
Primus Homo *Adamus*		930
Seth filius Adami	130	1042
Enos filius Sethi	235	1140
Cainaan filius Enos	325	1235
Malaleel filius Cainaan	395	1290
Jared filius Malaleel	460	1422
Henoch filius Jared	622	——
Mathuſalem filius Henoch	687	1656
Lamech filius Mathuſalem	874	1651
Noë filius Lamechi	1056	2006
Sem filius Noëmi	1556	2158
Arphaxad filius Semi	1658	1996
Sale filius Arphaxad	1693	2126
Heber filius Sale	1723	2187
Phaleg filius Heber	1757	1996
Reu filius Phaleg	1787	2026
Sarug filius Reu	1819	2049
Nachor filius Sarug	1849	1997
Thare filius Nachor	1878	2083
Abraham filius Thare	1948	2123

His datis vixerunt cum Adamo Annis.

	Annis.
Seth filius Adami vixit cum *Adamo* - -	800
Enos filius Seth vixit cum Adamo - -	695
Cainan filius Enos - - - - -	605
Malaleel filius Cainan - - - -	535
Jared filius Malaleel - - - -	470
Henoch filius Jared - - - - -	308
Mathuſalem filius Henoch - - -	243
Lamech filius Mathuſalem, et Pater *Noëmi* - - - - - -	56

Porro.

	Annis.
Lamech Pater *Noëmi* vixit cum Adamo -	56
—— —— —— cum *Seth* -	168
—— —— —— cum *Enos* -	266
—— —— —— cum *Cainan* -	361
—— —— —— cum *Malaleel* -	416
—— —— —— cum *Jared* -	548
—— —— —— cum *Mathuſalem*	777
—— —— cum *Noëmo* filio ſuo -	595

Deinde.

	Annis.
Noë filius *Lamechi* vixit cum *Enos* Nepote *Adami* - - - - - - -	84
—— —— cum *Cainan* filio Enos -	148
—— —— cum *Malaleel* filio Cainan	234
—— —— cum *Jared* filio Malaleel -	366
—— —— cum *Mathuſalem* filio Jared	609
—— —— cum *Lamecho* filio Mathuſalem Patre ſuo - - - -	595

Dein-

Denique.

	Annis.
Thare Pater *Abrahami* vixit cum Noëmo annis - - - - - - - -	128
Et ipſe *Abraham* vixit cum *Noëmo* annis -	58
Idem *Abraham* cum *Sêm* filio Noëmi -	175
—— —— cum *Arphaxad* filio Semi -	48
—— —— cum *Sale* filio Arphaxad -	175
—— —— cum *Heber* filio Sale -	175
—— —— cum *Phaleg* filio Heber -	48
—— —— cum *Reu* filio Phaleg -	78
—— —— cum *Sarug* filio Reu - -	101
—— —— cum *Nachor* filio Sarug -	49
—— —— cum Patre ſuo *Thare* filio Nachor - - - - - - - -	135

Habes igitur, quam dixi admirandam ſucceſſionem *traditionis*, quam *Abrahamus* ex ore *Noemi*, quocum vixit annis 58, *Noemus* ex ore *Enos* nepote *Adami*, quocum vixit annis 84, itemque ex ore patris ſui *Lamechi*, qui ex ore ipſiusmet *Adami*, quocum *Lameck* vixit annis 56, accipere potuerunt, immo vero certiſſime acceperunt. Hanc, ut aiebam iterum, ab *Adamo* inchoatam, et ad *Abrahamum* usque deductam, in Aegyptum detulit, et Sacerdotibus huius gentis communicavit; a quibus eam *Moſes* accepit, et in Librum *Geneſeos* intulit. — Haec erant illa *occultiſſima* Sacerdotum Aegyptiorum *Myſteria*, magno cum ardore a multis Veteribus Philoſophis inquiſita, quae ſub variis *Hieroglyphis*, non aliis, niſi ſuis, (magnis cum ceremoniis) *Initiatis* Sacerdotibus ſummo ſub *Secreto* communicarunt. *Hiſtoria* ſcilicet *Chronologica* a creatione *Adami* ad *Abrahamum* usque deducta, continens *Verum* DEI *veri* et *ſummi*, a Deo ipſo, primo Homini, et Poſteris eius *revelatum Cultum*.

Quod tibi erit gratum, ſpargam tua nomina; Muſa URANIE, dicam, Filia *prima* tua eſt. (18)

VIII.

(17) *Uranus*, ſeu *Coelum*, olim non ſolum āris, et thure, ſed etiam humanis victimis, praeſertim in Africa, colebatur.

(18) *Urania* igitur eſt omnium Muſarum *antiquiſſima*, et *prima*, utpote *Adamo* coeva. Quo autem Ordine Chronologico aliae Muſae ſint natae? opinari licet, ſed non definire. Si ergo opinandum ſit, puto ſequentem ordinem poſſe ſtatui. *Uraniam* ſequitur *Erato*, hanc *Clio*, deinde *Euterpe*, tum *Terpſichore*, et *Calliope*; atque ita *Thalia*, *Melpomene*, et *Polyhymnia*. *Erato* enim ſectatur Amores, *Clio* facit Hiſtoriam, *Euterpe* diligit Muſicam, *Terpſichore* regit Choreas, *Calliope* canit fortia facta Heroum, *Thalia* dat Comoediam, *Melpomene* facit Tragoediam, *Polyhymnia* fingit Geſtum et Actionem. Si vero Chronotaxim Muſicae *artificioſae* a *Moſe* traditam, ſcrutemur (nam Muſicam *naturalem* hominibus congenitam diu ante *artificialem* fuiſſe, certum eſt) hanc ſerius inventam eſſe intelligimus; *Moſes* enim Gen. IV. v. 21. ait: *Jubal* filium *Lamechi* fuiſſe patrem *canentium Cithara et organo*. *Iubal* autem ponitur in ſeptima ab *Adamo* generatione; ſic enim habet ſeries: *Adam*, *Cain*, *Henoch*, *Irad*, *Maviael*, *Mathuſael*, *Lameeh*, *Iubal*; quae ſeries ab *Adamo* ad *Iubal* conficit annos prope 1600 ante diluvium, quod contigit a creatione *Adae* anno 1656.

VIII.

Fabula Aeſopia

Leo Filiam Ruſtici amat.

(c)

Ruſticus eſt, huic una fuit, ſed pulchra puella,
Quam Leo vult thalamo conſociare ſuo.
Invitus Pater eſt; nubat pia Gnata Leoni?
O Dii! — connubium Ruſticus illa negat.
Sed videt iratum. (1) Metuit; mea Filia nubet,
Inquit, ſi prius hoc, quod cupit illa, facis.
Illa timet dentes, ungues timet illa Leonis;
Pone iubam, et ſaevas Rex generoſe minas! (2)
Caecus amore Leo eſt; ungues, dentesque revellit;
Utque ſibi detur iam ſua ſponſa, petit.
Ruſticus

(c) De Fabula Aeſopia prolixius egi in Poeſi mea Narrativa. Iſtam de Leone habet *Aeſopus* in Editione Graeca Erneſtina Lipſienſi anni MDCCLXXXI. ſub Num. 222. *La Fontaine* Lib. IV. Fab. 1. *Benſerade* Fab. 200. *Desbillons* Lib. III. Fab. 16.

1) Immane ſub ira infremuit Leo; ait Silius Ital. Lib. XI. Comasque arrexit; eſt in Virgilio Lib. X. Torvusque novos reſpexit ad ungues; notat Statius Lib. IX. Theb.

2) Dominum nemorum, Regemque Ferarum eſſe Leonem conſtat.

Ruſticus arrepto (modo non formidat inermem)
Pellit inhumanum fuſte, minisque Procum. (3)

IX.

De Veteri, et trito Latinorum Adagio: Sus Minervam.

(d)

Sus ſtetit ante Iovem (ſtantem miratur Olympus,
Numquam etenim magnum Sus ſtetit ante Iovem);
Suſpiciensque thronum, quem terra, poliique verentur, (1)
Iupiter! audaci ſic ait ore, vides;
Quae

(3) Doctrinam dabo verbis Aeſopi: ὁ λογος δηλοι, ὁτι οἱ τοις ἐχθροις ῥᾳδιως πιςευοντες, ὁταν των ἰδιων πλεονεκτηματων παραγυμνωσιν ἑαυτες, ἐκχμαλωτοι μαλλον, και ἐναλωτοι τυραις γινονται, οἱς προτερον φοβεροι κατεςηκασι.

(d) Memoratur a Cicerone in Epiſtolis, et Libro de Oratore, quod Graeci maiori vi expreſſerunt. Sic enim apud Theocritum Idyll. V. ὡς ποτ' Ἀθαναιαν ἐριν ἠρισε: Sus contra Minervam certamen ſuſcipit.

(1) Annon enim terrificus eſt ille Iupiter, qui ſolio ſedet ſublimis eburno, tenetque mundi ſceptra, et cuncta

ſu-

Quae ſine Matre tuo nunc eſt prognata cerebro
Filia (2), Doctorem debet habere ſuum.
Accipe me! quacunque voles, ſum primus in arte;
Ingenio ſapiet flava Minerva meo.
Intonuit Coelum, fulmen ruit. Ille timore
Tangitur, et celeri ſe rapit inde fuga.
Nunc etiam metuit, Coelumque videre recuſat (3);
Vult tamen ingenua doctor in arte coli.

X.

ſupercilio movet? Hic fera terribili iaculatur fulmina dextra; huius in obtutu tellus commota tremiſcit &c. Vide Pauſaniam in Eliacis, et Lucianum in Sacris.

(2) Κορυφαγενη dicitur Graecis Minerva, quod e capite Iovis orta putetur:

—— De capitis fertur ſine matre paterni
Vertice cum Clypeo proſiluiſſe ſuo;

ait Ovidius Lib. III. Faſt. Feſtive, Salſeque narrat Lucianus hanc hiſtoriam in Dialogis. Pindarus in Olympiis Ode VII. addit: Minervam, ut primum artibus Vulcani ex aere ducta bipenni ſupremo e vertice Patris proſiliit, vociferatam eſſe ingenti clamore: Ουρανος δ' εφριξενιν και γαια ματηρ.

(3) Sues enim per terram tantum circumferunt Oculos. Inter animalia, quae prona ſpectant terram, ſues ſunt primi. Quos haec fabula tangat, norunt illi, qui, quorumnam *Sus* ſymbolum ſit? non ignorant.

X.

Parabola

Femina Mortem pro Marito adpetit.

(e)

Femina depoſitum cum iam videt eſſe Maritum,
Flet, gemit, et tales dat queribunda preces:
Tune meum Mors atra Virum? Mors barbara poſcis,
Et crucias? Non te Sors mea dura movet?
Si tamen ex certa mactanda eſt victima lege,
Pone moras; hic eſt victima veſtra, veni!
Nondum finierat Mulier ſua verba, venit Mors.
Illa tacet; tandem, cum finit horror, ait:
Non, uti me tollas, ego te Mors alma vocavi!
Hic iacet! illa tua eſt victima; tolle, et abi!

XI.

(e) Richer Lib. III. Fab. 6. Benſerade Fab. 195. Abſtemius Fab. 60. Derbillons Lib. II. Fab. 29.

XI.

Ad Gallum

De Cel. Bibliotheca Budenſi Olim a Rege MATTHIA CORVINO *erecta.*

(f)

Heu me! quid quaeris? vellem te *Galle* tacere;
Triſtia quippe animo ſunt tua verba meo.
Hic, ubi nunc ſtamus, toto celeberrima mundo,
MATTHIAE Regis Bibliotheca ſtetit. (1)
Staret

f) Ita fere reſpondit *Mercurianus* Viro e Gallia celebrato, dum eum per praecipua urbis opera, vetuſtatisque monumenta duceret, et, ubi fuerit Bibliotheca Corviniana? interrogaretur.

1) *Bibliotheca Budenſis* Regia fuit olim primi nominis, quae Pannoniam omnem illuſtravit, et Gentes exteras ſuum ad luxum et miraculum excitavit. Conditor illius erat *Matthias Corvinus*, quem Mahometes II. Orientis Imperator ſuperbiſſimus tanti fecit, ut eum unum de Chriſtianis Regibus titulo Principis dignum pronunciaverit. Fuit autem non ſolum apud Barbaros, ſed etiam apud humaniſſimos Homines ſummo in pretio, et cultu, tum quod eſſet in Arte Militari, Politicaque magnus et felix, tum quod haberet excelſam indolem, divinam, et admirandam rerum omnium ſcientiam, teneretque dotes omnes raro federe in uno Principe ſociatas. Omne genus Eruditorum congregavit; uſus

eſt

Staret adhuc, Musasque suo cum monte teneret, (2)
Turcica ni Musis Gens inimica foret. (3)
Fama

est iis familiariter; maxime dilexit *Historicos*, *Poetas*, et *Mathematicos*. *Astronomiae* gratia *Joannem Regiomontanum* evocavit, tamque Studiosum Coeli spectatorem se praebuit, ut *Speculam celsam*, apertamque strueret in *arce sua Budensi*, unde omnes Coeli plagas circumspiceret. Dici non potest, quantis impendiis ditarit, ornaritque suam Bibliothecam. Posteaquam ampliſſimas Graeciae urbes evertit Turca, id agebat CORVINUS, ut Scientias omnes suum in sinum reciperet. Quare coeso non semel hoste, et pacem altro postulante, reliquias Bibliothecae Constantinopolitanae per initas pacis conditiones extorsit, alias, quae in Graecia supererant, pretio comparavit. Librarios alebat domi, forisque magna pecunia, qui omnes melioris notae Auctores Graecos et Latinos, quos commodum e Graecia habere non poterat, exscriberent. His, aliisque studiis effecit Rex Glorioſiſſimus, ut antiquae, verequè eruditae Graeciae, immo totius Orientis, ac Italiae Literatae opes omnes librarias in *una Buda* collectas haberet. Fuit autem totus hic Thesaurus non in urbe media; quod vulgus errore ductum autumat, sed in Regia prope Sacellum *S. Joannis*, cui nunc succeſſit templum *S. Sigismundi*. —— Qua itur ad Stationem ex latere interioris Bibliothecae ad Sacellum *Divi Joannis* perforatum (ait *Nic. Olahus* in Hungaria sua), unde Rex Sacrum audire consuevit, duae obviae sunt aedes concameratae, quarum altera Voluminibus Graecis referta erat, altera interior continebat Codices totius Latinae Linguae &c.

(2) Quo tempore MATTHIAS moderabatur Hungariam; *Helicon* Musarum erat *Buda*, et Scientiarum *Arx*, ac *Regia*

Fama, locus, lapides, et rudera multa ſuperſunt;
Haec tantum ex illa ſtant monumenta domo. (4)

Da

(3) Quis talia fundo temperet a lacrimis? Celeberrima illa Bibliotheca non explevit annos ſexaginta. *Solimannus* enim Turcarum Tyrannus poſt interitum *Ludovici II. Reg. Hung.* occupavit Budam, incendit aedes, diripuit Libros. Multa volumina, quae auro argentoque nitebant, vel elegantia Characterum ſeſe commendabant, partim Conſtantinopolim ſunt delata, et in foro ſcrutario diſtracta, partim in urbe Buda ſpoliata, et temere abiecta. Ut conquirerentur, omnem operam impendit Cardinalis *Petrus Pazmannus* Archi Epiſcopus Strigonienſis, deſtinavitque eum in uſum triginta florenorum millia; ſed avaritia, aut ignorantia Barbarorum ſpem illius ſuſtulit.

(4) Ex omni illa Bibliotheca nihil ſupereſt Budae praeter famam, locum, et rudera. Tota Libraria ſupellex *Corviniana* ultimum latura fuerat exitium, niſi praeclaro Caeſarum Auſtriacorum ſtudio pars aliqua Conſtantinopoli fuiſſet recuperata, et in Bibliothecam Aug. *Vindobonenſem* translata. Egerat etiam *Walterus* Comes Leslaeus LEOPOLDI Caeſaris ad Portam Otomannicam Orator, ut illa *Corvinianae Bibliothecae* Lypſana, quae Budae, urbe tunc Turcica, ſervari dicebantur, pretio conſtituto redimerentur. Impetrata tandem venia admittitur *Cl. Lambecius* in cavernam obſcuram, ubi ſitu et ſqualore obſitos, temereque jacentes Libros reperit neque multos, neque ſelectos. In teſtimonium viſae Bibliothecae obtinuit tres Tomos, quos Viennam ſecum aſportavit. Primus erat *Apologeticus*

D.

Da gemitum, et lacrimas Hoſpes doctiſſime! Deinde
Dic, uti Gens crimen *nunc* luat illa ſuum. (5)

XII.

Ad Manes

JOANNIS HUNNIADIS

Tempore Belli Turcici.

(f)

HUNNIADES! ſurgesne Tuo de pulvere? ſurge!
Bella vocant, Scythicos Hoſtis adurget equos.
Tu Mahometanae fregiſti cornua Lunae,
Sparſiſtique feri tela triſulca Iovis.
Nondum tela dabas, cum iam cecidere Gigantes;
Quodque facis, nullus Iupiter ante facit.

Te

D. Gregorii Nazianzeni in membrana latine exaratus; alter complectebatur *S. Auguſtini Sermones de Verbis Domini* pariter in membrana ſcriptus; tertius referebat *Poemata Jani Pannonii* Quinque Eccleſiarum Epiſcopi.

(5) Nunc inquam anno MDCCLXXXVIII, dum bello terra, marique impetitur.

(f) *Joannes Hunniades* (ſeu de *Hunyad*, et *Corvinus*) fuit Regni Hungariae Gubernator, *Matthiae* Regis pater, Turcarum terror, inter praecipuos, quos adhuc edidit Humanum Genus, Heroes et Duces, religione, prudentiaque ſingularis.

Te populi immanes metuunt, ſuaque arma relinquunt;
Fama Tuos hoſtes vincit, et examinat.
Te pugnante Salus noſtris conſtabat in oris,
Sed tuta Odryſii non fuit aula Ducis.
Nunc quoque Te memorant Turcae; Tua nomina Mater,
Si velit infantem terrificare, refert.
Huc ades Heroum quondam fortiſſime! fallor?
En iam ſanguineo Mars rubet orbe! (1) venis.

XIII.

Conſolatio

Ex Diſciplina Stoicorum accepta

poſt rapinam in Domo

MERCURIANI

perpetratam.

Nam cur ſtultus ego doleam? Fortuna recepit,
Quod mihi pro merito per duo luſtra dedit.

(1) Licetne omen accipere a Marte Planeta? cuius orbis eſt, ſanguineus, aut potius flammeus: ardentes Mavors ſuccenderat iras flammeus. Ex igne, fulgoreque illius Veteres ſuam fortunam coniectabant, credebantque Sidus hoc Mavortium ſuo influxu ciere bella nefanda.

Huic ego nec Mortem, nec ahenea Vincla precabor;
Supplicium, quod me deſpoliarit, habet.
Quantum cunque fuit, teneat, quod fuſtulit, Aurum;
Quae fuit ante mihi Mens, Animusque, manet.
Malo ego tranquilla Fortunae munera Mente
Perdere, quam miſera ſollicitare prece.

XIV.

Homini

De ſua deformitate nimis dolenti.

Aeſopo ſimilis facie quum diceris eſſe, (1)
Aeſopo facie te pudet eſſe parem.
Non pudet Aeſopum formae; quia fronte ſub illa
Mens habitat, primis invidioſa Sophis (2)
Si

(1) *Aeſopus* apud Graecos, Perſas, et Aegyptios olim nominatiſſimus dicitur fuiſſe monſtroſe deformis; forte propterea, ut eius doctrina, mentisque pulchritudo tanto magis eniteat.

(2) Apud Ariſtophanem in Avibus reprehenditur ignorantia Chori, quod nec Aeſopum exercuerit; argumento manifeſto, doctrinam et philoſophiam eius aetate illa fuiſſe notam et pervulgatam. Fabulae eius ſunt ſimplices, candidae, et nativae; oſtendunt lucem et vitam, valentque reconditis ſententiarum dotibus: ideo ſemper placuere ſapientibus. Socrates quamvis indole fuerit ſeveriſſima, his ſe deliciis occupabat. Mortuo Aeſopo ſtatuam ingentem poſuere Attici aut Septem Sapientes, quam Lyſippus elaboravit.

Si me Therſitem faceret Natura, dolerem; (3)
Sed cui Socraticum ſit pudor eſſe virum? (4)
Macte vir eſto animo! nec te Iovis armiger auffert, (5)
Nec perit a facibus *Buda*, vel *Alba* tuis (6)
Te Iocus, et Riſus, te bella facetia ludit,
Quamlibet adverſo terror in ore cubet. (7)
Tritonas, Satyrosque vide! deformia certe
Monſtra, ſed aethereo ſanguine nata vides. (8)

(3) De *Therſite*, omnium, qui ad Troiam venerant, corpore et lingua, animoque turpiſſimo Homerus Iliad. II. a v. 212. ſic incipit:

Θερσιτης δ' ἐτι μυγος ἀμετροεπης ἐκολωα, ος ρ' ἐπεα &c.

(4) Socratis Sapientia in libris Platonis eſt videnda.

(5) Aquila, vel Iupiter in aquilam verſus rapuit Ganymedem puerum formoſum:

Quondam alite verti
Dignatus, ſed quae portat ſua fulmina terrae,
Iliadem rapuit, qui nunc quoque pocula miſcet.

(6) Sermo eſt de *Paride*, quem cum Mater utero gerit, ſomniat ſe parere ardentem facem; adhibiti vates reſponderunt: portendi incendium Troiae. Ita factum eſt. Apud nos *Albae* nomine poteſt intelligi *Alba Graeca*, ſeu Belgradum in Servia, *Alba Regia* in Hungaria, *Alba Julia*, ſeu Carolina in Dacia.

(7) *Jocus*, *Riſus*, *Facetia*, et *Terror* non tantum Perſonas, ſed etiam templa habuere.

(8) *Triton* Neptuni et Amphitrites filius, de cuius forma Virgilius Aen. X.

Forma ſuos hoſtes, et mille pericula gignit.
Scis, ubi Narciſſos, Hippolytosque legas. (9)
Tempus edax rerum eſt; quem pulchra viderat Eos
Caeſarie, nudo vertice Veſper habet.
Finge alios non eſſe hoſtes. Iam maximus ille eſt;
Ille ſibi eſt hoſtis, cui ſua forma placet.
Ut tamen in *Proteum* te poſſis vertere, (10)
quasnam
Gallinas, et quod gramen, olusque voras? (11)

XV.

Hunc vehit immanis Triton, et coerula concha
Exterrens freta, cui laterum tenus hiſpida nanti
Frons hominem praefert, in priſtin definit alvus.
Spumea ſemifero ſub pectore murmurat unda.

Dicimus autem plures Tritones. De genere, formaque Satyrorum abſtineo dicere:

Sunt mihi Semidei, ſunt ruſtica Numina Fauni,
Et Nymphae, *Satyrique*, et monticolae ſilvani &c.

Ait Iupiter apud Ovidium Lib. I. Met. dum de improbitate hominum coram Superis expoſtulat.

(9) De *Narciſſo*, quem forma peremit, vide Lib. III. Met. De *Hippolyto* Lib. XV.

(10) Sunt, o fortiſſime, quorum
Forma ſemel mota eſt, et in hoc renovamine manſit,
Sunt, quibus in plures ius eſt tranſire figuras,
Ut tibi, complexi terram maris incola, *Proteu*!
Nam modo te Iuvenem, modo te videre Leonem &c.

Canit Ovid. Lib. VIII. Met. ſed melius Virgilius Lib. IV. Georg.

(11) Arguitur eorum ſuperſtitio et ſtultitia, qui ſibi miris artibus, et auxiliis conciliare volunt formam et

pul-

XV.

Excellentiſſimo Domino

NICOLAO SKARLECZ DE LOMNICZA.

(g)

Omnia, quae noſtris ſunt ſparſa Encomia Silvis,
Colligo, et inde TIBI laurea ſerta fero.
Natus es in *Pindo*; potum de fonte perenni
Phoebus, et *Aoniae* ſaepe tulere Deae. (1)
Sed quid ſaepe inquam? *Phoebus* TIBI ſemper adhaeſit;
Illa eſt Sola, TUAM quae levat unda ſitim.

P 4 Poſt

pulchritudinem. Non ſatis eſt illis, quod de Medicamine faciei docuit Ovidius; ad alia ſacra, profanaque ſubſidia convertuntur.

(g) Inſignis Ordinis S. Stephani Regis Apoſt. Equiti, Inclyti Comitatus Zagrabienſis Supremo Comiti, S. C. et R. A. M. Conſiliario Actuali Intimo, et ad Excelſam Tabulam Appellationis Regiam Iudiciariam Vice Praeſidi.

1) *Pindum* non alia de cauſſa hic nomino, quam quod Apollini Muſisque ſit ſacer, et ideo pro loco natali Ill. Viri credi debeat. *Fons perennis* eſt ille, quem Pegaſus, equus alatus, in Coelum volans elicuit e rupe Parnaſſi; unde Ἱπποκρήνη et Ἀγανιππη. Hic quoque fons doctis illis Numinibus, Scientiarum Praeſidibus eſt in deliciis; cuius aqua non ſolum Spiritum Poeticum, ſed etiam Eloquentiam, aliasque Scientias et Artes conferre ſolet.

Poſt varias Artes, poſt ſplendida Munia Regni (2)
Te ſibi Iuſtitiae Praeſes adeſſe cupit. (3)
Illa Tibi legesque ſuas, ſoliumque reſignat,
Divinoque Themis Te facit ore loqui. (4)
Quando magis certam dederunt Oracula vocem?
Dum loqueris: Themis, et Phoebas anhela tacet.

XVI.

(2) Scientias, Artesque eius, et Sapientiam, factaque illuſtria Muſae Zagrabienſes elegauti lyra, grandique tuba ſaepe cecinerunt. Munia, quae geſſit in Croatia, et Hungaria, Politica, Iudiciaria, et Literaria, et ille tantum potuit ita gerere, qui geſſit.

(3) *Themis*; quam Ovidius convenienter ad rem praeſentem dicit *Parnaſſum*, credo proptèrea, ut intelligamus Iurisprudentiam multarum Diſciplinarum, quae ſuum locum habeat in Parnaſſo, ope indigere, et oportere Iurisperitum eſſe ἐγκυκλωπαι δευτην, et πολυμαθην.

(4) *Oracula* Themidis eſſe vetuſtiſſima teſtatur etiam Liber I. Met. ubi narrat Ovidius Deucalionem poſt Diluvium a Themide popoſciſſe Conſilium: qua ratione poſſit reparari Humanum Genus? Nymphas, et Numina montis (Parnaſſi) adorat,

Fatidicamque *Themin*, quae tunc *oracla* tenebat.—
Atque ita: Si precibus, dixerunt, Numina iuſtis
Victa remolleſcunt; ſi flectitur ira Deorum,
Dic *Themi*! qua generis damnum reparabile noſtri
Arte ſit? &c. *Themidem* ab oraculis repulit Apollo *Pythius*, ait *Euripides* in ea fabula, quae eſt de *Iphigenia* in Tauris; cui Sacerdos et *Vates* erat *Pythia*, et *Phoebas* dicta, quae furore, et enthuſiasmo plena ſolebat reſponſa dare. Hic autem una cum *Themide* ſilet.

XVI.

Spectabili ac Magnifico Domino Conſiliario Regio

GEORGIO MAJLÁTH DE SZÉKHELY.

Si *Lucina* meae non eſt inimica Poeſi,
Proxima natali ſunt mea Metra ſuo.
Eſtne fides *Vati*? *Vates* eſt HELLIUS! Ille
Carminibus *Vitam* dicit ineſſe meis.
Sive illi Augurium *Phoebus*, ſive *Aſtra* dederunt,
Ille mihi *famam* vaticinatus erat. (1)
Ille novos animos, et ſacros ingerit ignes.
Ecce! *favent Muſis* PHOEBUS, *et* ASTRA *tuis*.
Sic ait; et *Silvam Parnaſſi* nominat illos,
Quos ego *Pannonius* ſcribo *Poeta* libros.

(1) *Augurium* putarunt aliqui cum *Servio* dictum quaſi *Avigerium*, quod Aves crederentur rerum futurarum indicia gerere. Sed latius patere ſignificationem huius verbi docet uſus communis, quo magiſtro conſtat *Augurium* eſſe quamdam mentis opinionem, aut animi praeſagium, vel etiam *divinationem*, aut *oraculum*, quod ex intimo animi ſenſu, aut inſpiratione facta, vel obſervatione coeleſtium, rerumque naturalium, aut reſponſo quodam *divino* capitur de rebus, quae nondum ſunt. *Poetae Uranophili* aut *ſoli* ſunt *Vates*, aut *praecipui*; qui ſua reſponſa dant vel ex *Spiritu Phoebi*, vel e forma, curſuque coeleſtium. Conf. quae dicta ſunt in Arte mea Poetica Lib. I. Cap. 3.

Forte TIBI nomen *Parnaſſi* diſplicet: Ohe!
Hic titulus, dices, *ambitioſus* erit.
Adſpice, quem *Phocis* deducit in aethera montem,
Bellerophontaei Fons ubi manat equi. (2)
Nonne hic et lauros, umbrasque, humilesque myricas,
Templa, iuga, ac hederas, Pieridesque vides? (3)
Ut Nemus illud erat, ſic eſt mea *Silvula*; Montem
Parnaſſum, et Fontem *Graecus*, et *Hunnus* habet.
Cre-

(2) Separat Aonios Actaeis Phocis ab apris
Terra ferax ——
Mons ibi verticibus petit arduus aſtra duobus
Nomine *Parnaſſus* ſuperatque cacumine nubes.
Canit Ovidius Lib. I. Met. Hoc in monte rupes eſt, quae vel maieſtate Numinis, vel ſitu ipſo horrorem facit viſentibus, undique fere praeceps in formam theatri. Hic erat celeberrimum Apollinis Oraculum, et Fons Poetarum Caſtalius non uno nomine inſignitus. Multa de hoc Monte *Lucanus* Lib. V. Phar. ad rem praeſentem.
—— —— Parnaſſus gemino petit aethera Colle,
Mons Phoebo, Bromioque ſacer, cui Numine miſto
Delphica Thebanae referunt trieterica Bacchae &c.

(3) Hic, et alibi ante oculos habuit Poeta, quae de Parnaſſo *Phocidis* ſcripſere Herodotus, Mela, Strabo, Plinius, Pauſanias, Macrobius, aliisque Claſſici. Virgilius meminit de rupe, iugis, et lauro Parnaſſi; Ovidius dicit, arcem illius umbroſam, et templa; Statius oſtendit Cornua &c. Ad exemplum *Parnaſſi Graeci* formatur hic imago *Parnaſſi Pannonii*.

Credis ? in hanc *Silvam* venient, quos Muſa *Latina*,
Et quos Aonia Fons trahit uber aqua.
MAJLATHIDAE certo venient; quia Muſa *Latina*
His placet, et Guſtum Caſtalis unda iuvat.
Carmina ſunt *noſtri* (ſic Vos dicetis) *Amici*;
Carmina MAJLATHIDIS *Mercuriana* placent.
Non amor, et ſtudium, quo me complectere; ſed Mens,
Et Ratio ſenſum, iudiciumque reget.
Quando ego, quos dextro cantatis Apolline, verſus,
Atque alia ingenii pulchra Vireta legam?
Sunt TIBI, ſunt *gemino* quam plurima Carmina FRATRI, (4)
Quae meliora meis dicet Apollo Metris.
Credo ego, ſi VESTRO faceretis Carmine *Silvam*,
Aurea non una ex arbore *Silva* foret. (5)

XVII.

(4) Germanus Frater eſt, Reverendiſſimus, Doctiſſimus, ac clariſſimus D. *Antonius Majlath de Székhely* Canonicus Eccleſiae Metropolitanae *Jaurinenſis* in Hungaria.

(5) Famoſa eſt illa *Silva*, quam Virgilius oſtendit Aen. VI. Illa enim habebat mirabilem illam arborem, ex que natus erat.

Aureus et foliis, et lento vimine Ramus.
—— —— Primo evulſo non deficit alter
Aureus, et ſimili frondeſcit Virga metallo.

XVII.

De Amphitheatro.

Amphitheatra petis; vis Amphitheatra ſequantur,
Qui cupiunt animos exhilarare ſuos.
Ut tu, ſic et ego Mentem exhilarare laboro;
Sed mea mens non vult Amphitheatra ſequi.
Amphitheatralem quicunque ſequuntur arenam,
Certa animi (fallor?) dant documenta ſui.
Si tibi delicias praeſtat laniena ferarum,
Iudicium propria de feritate facis.
Exivere ferae, miſcentur praelia, ſanguis
Spargitur, in toto eſt carnificina ſolo.
Parcite, qui cupitis ſpectacula ſaeva! fateri
Quid prohibet? pudor eſt Amphitheatra ſequi.

XVIII.

Podagra ſuos Hoſtes ulciſcitur.

Sacra coronati Myſtae fecere. (1) Sciendum eſt:
Diva, cui ſacra ſunt facta, *Podagra* fuit. (2)
Si

(1) Obſervat Auctor ritum, moremque Sacerdotum; illi enim Coronas capite geſtabant ex arbore, quae Deo, cui ſacra faciebant, gratiſſima eſſe credebatur; quibus aliquando etiam *vittas*, et *infulas* addebant.

Huc gemini Vates Sanctum canentis olivae
Fronde comam, et niveis oranti tempora vittis
Evadunt pariter &c. Statius Theb. III.

Si dubitas, hanc esse Deam, reus actus es. Eheu
Te miserum! iam te debita poena manet.
Vere novo sacra sunt celebrata; utque illa volebat, (3)
His etiam in sacris luctus, et horror erat.
O Dea (cum gemitu dicebant) maxima! *Bacchi*,
Et *Veneris* Soboles prima! quiesce, fave!
Te pelagus, te terra colit; tua brachia sentit,
Quem tu cunque capis; (4) te Iovis ira timet.
Omnia vicisti; nemo te vicit. (5) Eritne,
Qui modo non summam te putet esse Deam?
Cetera, quae fracta cantavit voce Sacerdos
Graecus, amor noster, *Samosatensis* habet. (6)

Au-

(2) Occasionem cogitandi dat Plinius Lib. XXVI. Cap. 10. dum ait: Podagrae morbus rarior solebat esse, non modo patrum, avorumque memoria, verum etiam nostra; peregrinus et ipse. Nam si Italiae fuisset antiquitus, Latinum nomen inveniisset.

(3) Verum tempus aptum Podagrae tradit Cornelius Celsus Latinus, Hippocrates et Medicorum Cicero Lib. IV. Cad. 24.

(4) Ποδαγρα quasi pedum captura.

(5) Insanabilis non est credendus (morbus); quippe quando et multis, et sponte desinit, et in pluribus curatur. Ait idem Plinius, et adfert innumera remedia. Credo autem ea omnia non tam ex usu et experientia, quam ex libris aliorum, et theoria esse desumta.

(6) *Lucianus*, cuius ego Characteres exposui in Libro de Fabulis Romanensibus, habet inter opera *Tragopodagram*

Quis Deus hanc Herbam noſtrum produxit in
uſum? (2)
Quis, niſi vel Phoebus, vel mea Pallas erat? (3)
Sumite, qui cerebro vultis pollere, Tabacum!
Haec eſt ingenii certa Sagina mei.
Huius ab exortu Quinquennia dicere vellem,
Si mihi, quae Graecis, visque, fidesque foret. (4)
Nam quid Olympiacus noſtro cum pulvere pulvis?
Dignior aeterna non fuit ille nota.
Divina eſt noſtri virtus, et origo Tabaci;
Crede mihi, pulvis cui ſapit, ille ſapit. (5)
Talia dicebat nuper. Quis? Nomen Amici
Non refero. Contra ſic ego fatus eram:
Nec

(2) Quam aliqui a primo inventore *Nicotianam* nominant; vulgo *Tabacum* dicimus, aliqui *Poetum*.

(3) Inventionem, uſumque huius Herbae ea de cauſſa tribuit Poeſis Phoebo et Minervae Scientiarum Auctoribus, quod credunt nonnulli virtute huius germinis purgari cerebrum, et acui mentem.

(4) Olympia intelligo, certamina Sacra, quae quinto quovis anno ad urbem Olympiam in honorem Iovis Olympii agebantur, unde Graeci inchoarunt ſuam Epocham, et feriem annorum numerarunt. Sunt, ait Horatius, quos curriculo pulverem Olympium collegiſſe iuvat.

(5) Creditur huic Herbae de Coelo Numen ineſſe
Fatidicum, primi quantum ſenſere Poetae;
Acribus ex *Poeto* ſtimulis ſub pectore verſis
Vena fluit, properantque pedes, numerique frequentes,
Ceu coniurati veniunt ad ſigna manipli. &c.
Jac. Balde in Satyra contra Tabacum.

Nec laudare volo, nec vituperare Tabacum;
Quod laudas, aliqui vituperare ſolent.
Quod Panacea tibi eſt, illi dixere Cicutam (6)
Non tibi, non illis credo, quod ipſe ſcio.

XX.

Ad Lectorem.

Nondum opus exegi. Mons, quem ſibi Graecus Apollo
Conſtituit, *gemino* Sidera *Colle* petit. (1)
Collis uterque tumet *Silva*, quam propria curant
Numina, et aeternae frondis honore fovent.
Non fera, non Aquilo, non Bruma, vel ulla ſecuris
Audeat in *Silvas* PHOEBE venire *tuas*!
Mons

(6) De *Cicuta* herba venenoſa nihil dico. *Panaces*, aut *Panacea* ἀπὸ τῦ πάντα ἀκεῖν nominatur a ſanandis omnibus morbis. Ideo Plinius: Panaces ipſo nomine omnium morborum remedia promittit; numeroſum, et diis inventoribus adſcriptum.

(1) Herodotus in *Urania*, ſeu Lib. VIII. Hiſt. tradit *Collem* unum, ſeu Verticem Parnaſſi, dici *Tithoreum*, alterum *Hyampeium*, illum eſſe penes urbem *Neonem*, vel potius *Tithoream*; iſtum autem ſtare prope *Hyampolim*. Ex narratione huius Scriptoris non ſatis liquet, an duo haec Cacumina (κορυφὰς adpellat) ſua nomina dederint his urbibus, vel ab iſtis illae acceperint?

Mons quoque *Pannonius*, quem Graeco nomine dixi
Parnaſſum, duplici Colle videndus erit.
Collis uterque *ſuam* debet tibi ſiſtere *Silvam*
Lector! *Hyampeii Silva* ſit iſta *Iugi* (2)
Non deerunt (quid enim dubitem?) qui nomina carpant
Noſtra, et mordaci Carmina dente petant.
Ecce ferae, ventique truces, et fulmina! *Momos*,
Cornigerosque hoſtes haec mea *Silva* videt.
Opponam Satyras Satyris? opprobria probris?
Si torquere volo talia tela, licet. (3)
Cur mihi non liceat, quae NASO vibravit in *Ibin*
Arma? (4) vel ARCHILOCHI fellea tela dare? (5)
Ulciſcarne meis igitur convicia Iambis?
Namque venenatum fel mea Muſa gerit.
Hoc

(2) Cum *Parnaſſus* Graeciae duos habeat colles, *Pannonius* quoque debet eſſe *biſidus*, *geminus*, *bivertex*, et *bicornis*. Lector igitur hanc Silvam putet eſſe unius tantum Collis et iugi; alteram autem, ſi faverit Apollo, credat ſe viſurum in Colle *Tithoreo*

(3) Dixi aliquando in *Arte mea Poetica*: Poetae habent vim maximam tam ad accuſandum, quam ad laudandum; criminantur et laudant, caſtigant et ornant, vexant et commendant libere et aperte, mordaciter et honorifice. *Archilochus*, *Hipponax*, *Ovidius* &c. ſunt in exemplo.

(4) Quisquis is eſt (nam nomen adhuc utcunque tacebo)
Cogit inaſſuetas ſummere tela manus &c.

(5) *Archilochum* proprio rabies armavit Iambo,
inquit *Horatius*; *Ovidius* autem:
Tincta *Lycambeo* ſanguine tela dabit.

Hoc placet. Ulciſcor. Tu, quisquis es, ingere probra!
Iam mea Muſa — quid eſt? ad tua probra *Silet.* (6)



(6) Socrates apud Platonem in Minoe, ſeu Libro de Lege ſic te, aliosque monet: *Et tu, et unusquisque alius, cui bona exiſtimatio curae eſt, ſi modo ſapitis, diligenter cavere debetis, ne Poeticum Hominem infenſum aliquem habeatis.* Rationem addit, quam ego iam retuli: οἱ γαρ ποιηται μεγα δυναντται εἰς δοξαν, ἐφ' ὁποτερ' ἀν ποιωσιν εἰς τους ἀνθρωπους, ἐυλογουντες, και κατηγορουντες. *Qua in re* (continuat) *profecto Minos deliquit, cum huic urbi bellum indiceret, quae cum ceteris ſapientibus plurimis, tum vel maxime Poetis omnis generis, tragicis praeſertim, referta eſt* — Loquitur autem Socrates ex ſua experientia; fuit enim riſui expoſitus ab *Ariſtophane* per eam Comoediam, quae extat. *Immo: tota illa Comicorum manus in me venenatos Sales ſuos effudit*; ait apud *Senecam* Libro de Vita Beata Cap. 27.

ELENCHUS
CARMINUM.

LIBER I.

Num. Carm.		Pag.
I.	Agricola Mercurianus Poeta Rus iturus	1
II.	PROPEMPTICON Virgini Deiparae ad Coelos abeunti	3
III.	MARIAE THERESIAE Aug. Reginae Hungariae dum a Clemente XIII. P. M. titulo Regis *Apoſtolici* ornata fuit	5
IV.	De vera Amazone in Hungaria	6
V.	Mors Chriſti eſt vita Hominis	8
VI	Phylidi aquam porrigenti	—
VII.	In Contemplatione Roſae	9
VII.	Nova Stella primum in Coelo Auſtriaco viſa Anno MDCCLXXIII	10
IX.	Ad Rivulum	11
X.	Statua equeſtris divi Martini in Templo principe Poſonienſi erecta	12
XI.	Exc. comiti ANTONIO JANKOVICH DE DARUWAR dum Tabulae Septemvirali Judiciariae praeeſſe coepit	14
XII.	PETRO E COMITIBUS DE REWA S. C. et R. A. Maieſt. Conſiliario Illuſtriſſimo	15
XIII.	Satyra In Jovem, dum Coelum tonuit, jacta	—
XIV.	Mavors Hungariae	16
XV.	Threnus Eraſti Adoleſcentis	18
XVI.	Viſio nocturna	20
XVII.	EUCHARISTICON divae Apolloniae datum	21
XVIII.	Illuſt. Comiti, et Conſiliario C. R. ANTONIO BRUNSZVIK DE KOROMPA, dum novam, et elegantem ſuam Aedem eſt ingreſſus	23
XIX.	De Thermis Budenſibus	24
XX	Amor, et Mors pugnam, ac foedus ineunt	26
XXI.	De monili famigerato, quod in Gallia magnam litem &c. concitavit Anno 1785, et 1786	—
XXII.	IGNATIADI Anno MDCCLXXIII morienti	28
XXIII	De Homine multimodis monſtroſo, et malo	29
XXIV.	Quae eſt praecipua Amoris proprietas	30
XXV	De Chocolata	31
XXVI.	Bibliotheca Theologica Budae Anno MDCCLXXXIII. Menſe Julio fulmine percuſſa	33
XXVII	Iil. ANTONIO VÖRÖS DE FARAD Conſ. Aulico	—

Num. Carm.		Pag.
XXVIII.	Vota pro eodem Ill. Comite	34
XXIX.	JOANNI NEP. SAYNOVICS Aſtronomo Cel.	35
XXX.	Eidem, dum in Caſtello Gentilitio frequentiſſima fuit Nobilitas	—
XXXI.	Dynaſtae Tortaſienſi	36
XXXII.	Eidem Reduci	37
XXXIII.	Ad Poëtam, qui latina Carmina dedit in mortem MARIAE THERESIAE AUG.	—
XXXIV.	Ad Solem, dum me Mercurianum ſomnus diuturnus premebat	38
XXXV.	Ad Marcum, qui de longo Cynthiae ſomno querebatur	39
XXXVI.	De Nocte	40
XXXVII.	Querela, et Gemitus	—
XXXVIII.	De Anno MDCCLXXIII	41
XXXIX	Puero ſingularibus Dotibus ornato	42

LIBER II.

I.	Ad Amicum, Quid Ruri faciam, quaerentem	43
II.	Poeta in Villa Albana prope Tyrnaviam feriatur	44
III.	Academia Nobilium, quae fuit Tyrnaviae	47
IV.	De magno Amoris Imperio	49
V.	De ſeminario Generali, quod erat Budae pro Clero Regni Hungariae depoſitum	50
VI.	Doctoribus Theologiae, dum Regia ſcientiarum Univerſitas Buda demigravit	51
VII.	De Horto Exc. Comitis ANTONII JANKOVICS DE DARUWAR	52
VIII.	De Coniugio Reſponſio Amico data	53
IX.	De JOANNE PALAFOX, dum iterum Anno MDCCLXXXV ageretur, ut in numerum Coelitum ſolemniter referatur	54
X.	Ad cunas Infantis	59
XI.	De Pomoerio Urbis Budae	60
XII.	Inſcriptio in novam Domum Heri hoſpitalis	61
XIII.	Ill. D. Comiti PETRO DE REWA Epicedium poſtulanti	—
XIV.	Ordo Virorum Religioſorum a S. Paulo Eremita nominatus uno die per Hungariam ſublatus Anno MDCCLXXXVI	62
XV.	De Obtrectatore	65
XVI.	De Scriptore nimium glorioſo	66
XVII.	Mulieri, quae Hortum habebat Liliis multis conſitum	67
XVIII.	De Cupidine arcu et ſagittis armato	—
XIX.	Ill. ANTONIO VÖRÖS DE FARAD per literas invitanti	68
XX.	Eidem Budae apud Dynaſtam Tordaſienſem hoſpitanti	—

Elenchus,

Num. Carm.	Pag.
XXI. De Globis Aeroſtaticis in Campo Budenſi fruſtra iactatis	69
XXII. De frequenti Autochiria	70
XXIII. Cl. Adamo Viser Hermeneuticae novi Teſtamenti Scriptori	71
XXIV. Homini ſcelerato intentatur Poena	73
XXV. Ad Julium Pharmacis ſine modo utentem	74
XXVI. Quantus eſt Hominum Numerus?	—
XXVII. Amico diem Natalem recolenti	75
XXVIII. Hercules in pictura feminea in veſte fila trahit prope pedes Omphales	76
XXIX. Allegoria de Claſſe Poetica	—
XXX. Geſtuum Natura eſt mutata	77
XXXI. Virgini Deiparae	78
XXXII. Orium Zoodiacum Palingenii remiſeram	79
XXXIII. Andreae Onomaſticum agenti	—
XXXIV. Poeta ferias terminat	—
XXXV. De Caſtore, et Polluce	81
XXXVI. Marcello, qualis eſt ſapientia Hominum	82
XXXVII. Mathematico cuidam Coaevo	83
XXXVIII. Haeredi opulento, ſed improbo	84
XXXIX. Alaudae Metamorphoſis	85

LIBER III.

I. Narratio de Pharetra Amoris	89
II. Ad Catharinam Magnam Ruſſiae magnae Imperatricem	90
III. Epithalanium Spect. ac Magn. D. Conſiliario Regio Stephano Aczel	92
IV. Lis humana Deorum iudicio dirempta	94
V. Natura noſtra Vitio noſtro eſt obſcurata	95
VI. De Muliere, quae deſperato Militis coniugio ſe deiecit in danubium Budae Anno MDCCLXXXVI	96
VII. Ad Cupidinem	98
VIII. Roſa, cuius Rei Symbolum, et Nota	99
IX. Ill. D. Comiti Petro de Rewa, dum Excelſi Gubernii M. Principatus Tranſilvaniae Praeſes Vicarius conſtitutus eſt	100
X. Muſarum Patrono ruſticanti	101
XI. De Sepulchro Pyrrhae a forma in Hungaria celebratae	—
XII. Soteria ad Phoebum	102
XIII. Cl. Adamo Viser	104
XIV. Hiſtoria ex Aeneide Virgilii ad Ill. D. Antonium Vörös de Farad translata	—
XV. Ad Daphnin, de periculis Juventatis	106

Num. Carm.		Pag.
XVI.	Spect. ac Magn. D. Conſiliario Regio JOSEPHO DESZAN ab HANSEN, dum Adminiſtrator Temeſienſis factus eſt	107
XVII.	Erudito cuidam Peregrinatori	—
XVIII.	Amico, qui Agricolam Mercurianum duxit per Urbem magnificam	108
XIX.	Epicedium Cani Melaenae factum	109
XX.	Arma contra mordacitatem femineam data meo familiari	111
XXI.	Convivium Eruditorum	112
XXII.	Politiae Doctori Hungaro	114
XXIII.	Aures, et oculi Vitio Hominum ſunt mali	—
XXIV.	Quae Dea maxima?	115
XXV.	Reverendiſſimo D. NICOLAO KONDE DE POKA TELEK	117
XXVI.	Amico, qui de frequenti animi inquietudine querebatur	121
XXVII.	In mortem verae Amazonis	122
XXVIII.	De Amore, quem Statua marmorea dormientem exhibet	123
XXIX.	Ad diem Nuptialem Ill. Comitum PETRI DE REWA et ESTERIS DE SANDOR	124
XXX	De Pictore noſtro, qui ſua in Tabula foedus parabat facere inter Virtutem, et Fortunam	125
XXXI.	Ad Quintium Cincinnatum	127
XXXII.	Quae maxima in Terris felicitas	130
XXXIII.	Ad Fornacem	132
XXXIV.	De Danubio Budenſi glacie conſtricto	133
XXXV.	Anonymo Vota die natali effugienti	135
XXXVI.	Adamo Evae ſine cognomine	—

LIBER IV.

I.	Eccloga de NATIVITATE DOMINI	137
II	Feſtum divi ANTONII DE PADUA Ruri celebratum	140
III	Ad Philoſophiam	141
IV	De Apotheoſi Herculis	143
V.	De Stephano, qui ſuum Nomen anniverſaria ſolemnitate recoluit	144
VI	Poeta Hermopolitanus, ſcripta quaedam iuvenilia flammis abſumit	145
VII.	IRONIA de Aetate noſtra, quae nihil magis quam Amorem Proximi celebrat	146
VIII.	HISTORIA URANIAE MUSAE, quam inter Deos, Deasque Planetarias recens detexit HERSCHELIUS	147
IX.	STANISLAUS KOSTKA Vienna clam fugit Romam, ut Votorum obtineat metam	175
X.	De Fortuna	181

Num. Carm. Pag.
XI. Turba Juventutis Gymnaſticae transformatur in Arbores - - - - - 184
XII. Phyſico, cui gratulabunda miſi Carmina - 186
XIII. Pyrrho Egregio, et Illuſtri Juveni - 187
XIV. Confeſſio Culpae - - - 188
XV. Quatuor Franciſcis, dum Feſtum egerunt divi Franciſci Xaverii - - - - 189
XVI. PETRO, qui meos Verſus emendare volebat 190

LIBER V.

I. Dum novi Epiſcopi Anno MDCCLXXXVIII. ſunt creati - - - - - 191
II. De Bano Croatiae FRANCISCO DE PAULA BALASSA - - - - - 192
III. De Ill. ac Rev. Domino FRANCISCO XAVERIO L. B. SPLENY DE MIHALDI Epiſcopo Vacienſi 193
IV. Fratri meo JOSEPHO, Eccleſiae Metropolitanae Coloczenſis Canonico - - - 195
V. Buda nocturnis lampadibus perpetuo illuſtrata 199
VI. Ill. ac Rev. Domino FRANCISCO XAVERIO KALATAI dum die 20. Auguſti An. MDCCLXXXVII Antiſtes Magno Varadienſis renunciatus eſt - 200
VII. ELEGIA EPIDICTICA, per quam demonſtratur URANIAM Muſam, eſſe PRIMOGENITAM URANI 201
VIII. Fabula Aeſopia, Leo filiam Ruſtici amat - 219
IX. De Veteri, et trito Latinorum Adagio: *Sus Minervam* - - - - 220
X. Parabola, Femina Mortem pro Marito adpetit 221
XI. Ad *Gallum*, de cel. Bibliotheca Budenſi olim a Rege MATTHIA CORVINO erecta - 223
XII. Ad manes JOANNIS HUNNIADIS tempore belli Turcici - - - - - 226
XIII. Conſolatio ex Diſciplina Stoicorum accepta poſt Rapinam in Domo *Mercuriani* perpetratam 227
XIV. Homini de ſua deformitate nimis dolenti - 228
XV. Exc. Domino NICOLAO SKARLECZ DE LOMNICZA - - - - - 231
XVI. Spect. ac Magn. Domino Conſiliario Regio GEORGIO MAJLATH DE SZEKHELY - 233
XVII. De Amphitheatro - - - 236
XVIII. Podagra ſuos hoſtes ulciſcitur - - —
XIX. De Tabaco - - - - 239
XX. Ad Lectorem - - - - 241

ERRATA TYPI GRAVIORA.

Pag.	Loco.	Lege.
3	*Verſu* 2 ponera	ponere.
5	HUGARIAE	HUNGARIAE.
7	*Verſu* 11 quos	quam.
16	*Eleg. XIV Verſu* 1 Jupitsr	Jupiter.
17	*Nota* (5) avo	ovo.
25	*Verſu* 1 gelidus	gelidas.
——	*Verſu ultimo* fecit	facit.
31	*Nota* (7) ὡφροντισος	ὡφροντιςος
32	*Nota* (a) hinc	hanc.
33	68. 104. 140. TARAD	FARAD.
45	*Nota* (1) Heſperithuſa	Heſperethuſa.
46	*Nota* (5) et radit	et rabit.
54	*Nota* (b) ſtaduit	ſtuduit.
59	*Eleg. X Verſu* 3 Incunabila	Incunabula.
68	*Eleg. XX Verſu* 1 NAGI	NAGY.
81	*Nota* (f) ἀτερημερες	ἑτερημερες.
85	*Nota* (2) Tibiſum	Tibiſcum.
86	*Verſu* 4 Laetitiae	Laetitia.
91	*Nota* 3 Salmirenos	Palmyrenos.
97	*Nota* (3) minans	geminas.
103	*Nota* (4) πρυσοπον	πρωσωπον.
104	*Verſu ultimo* Inventa	Juventa.
105	*Nota* (4) πανδορα	πανδωρα.
115	*Nota* (4) Chremytus	Chremylus.
124	*Nota* (1) Pyrocis	Pyrois.
127	*Verſu* 1 crede	credo.
134	*Nota* (4) omnis	amnis.
138	*Verſu* 1 clivns	clivus.
143	*Nota* (2) purentis	parentis.
150	*Verſu* 1 commenta	commenta.
152	*Nota* (2) aſſe	eſſe.
155	*Verſu* 17 dant inania	dant Jove inania.
158	*Nota* (15) *Linea* 6 nova	novo.
——	*Nota* (16) Natu	Nutu.
185	*Verſu* 25 lacus	lucus.
192	*Linea* 4 GYERMATH	GYARMATH.
198	*Verſu* 5 poemate	poemata.
201	*Nota* (4) menitorum	meritorum.
211	*Nota* (13) *linea* 8 quasdum	quasdam.